CONCLUSIO
MEDITATÆ CONCORDIÆ,
De
NECESSARIA REDUCTIONE PROTESTANTIUM AD CATHOLICOS
Si in una vera Fide vivere ac mori velint,

I.
Ex ipsis
PRINCIPIIS ECCLESIÆ PROTESTANTIUM.

II.
EX MANIFESTO DEFECTU SCRIPTURÆ Sacræ in illorum fidei atticulis,


Clarè demonstrata,

Per
R.P. JACOBUM MASENIUM
SOCIETATIS JESU,

Demissè oblata S.R.Imp. Legatis Protestantium Ratisbonæ congregatis.

Apostolus Philipp. 2.2.

Si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes.




COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud JOANNEN BUSÆUM sub Monocerote,
ANNO 1665.

Ego infraſcriptus Societ. Ieſu per inferioris Rheni tractum Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Adm. R. P. IOANNE PAULO OLIVA *Societatis noſtræ Vicario Generali permito, ut Concluſio Meditatæ Concordiæ à* P. IACOBO MASENIO *ejusdem Societatis Religioſo conſcripta, & à conſtitutis Cenſoribus lecta, probataq; ad communis boni utilitatem vulgetur. In cujus rei fidem haſce manu mea ſcriptas conſuetoq; officii ſigillo munitas dedi Calendis Februarii* ANNO 1665. *Coloniæ Ubiorum.*

GODEFRIDUS OTTERSTEDT



EPISTOLA DEDICATORIA

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO

D. FRANCISCO EGONI

PRINCIPI AC EPISCOPO ARGENTInensi, Administratori in Murbach & Luders, Landgravio Alsatiæ, Decano Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, *&c.* Domino suo Clementissimo.

Celsissime ac Reverendissime Princeps.



QUæ de Concordia Religionis meditatus sum hactenus, publicæque in Germania pacis felicitatisq; vel restituendæ, vel firmandæ gratiâ typis credidi, illa sub diversorum Principum favore ac patrocinio auspicatus sub *Tuæ* deniq: *Celsitudinis* umbra concludere, Superis faventibus, decrevi. Non una me huc causa impulit. Vetus illa tua, quâ me immerentem hactenus cõplecteris, benevolentia, ad hoc audendum excitavit: calcar addidit egregia in honestarum disciplinarũ cultores humanitas, ac deniq; incitamento fuit publicæ in Tua Cels^ne tranquillitatis cura, quam cum suscepta nuper principali dignitate, amore subditorum tuorum vehementer inflammasti. Equidem illud Tibi Tullianum *a* cordi

(a) *c. 5. de Repub.*

esse

esse novi: *Moderatori reipub. beata civium vita proposita est, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit.* Illa singularis tua, quâ Tibi commissis prospicis, eorumq; saluti, quieti, & commodis dies noctesq; temet lubentem indefessumque impendis, vigilantia, non potest aliud de Te nobis persuadere. Qualem olim Romanus Sapiens apud Polybium de consolatione *a* nobis describit in Magno Cæsare Principem, talem Te natura virtusque jamdudum Tuis subditis formavit. *Omnium,* inquit, *domos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi se eripuit, & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet subsistere.* Nimirùm, ut cœlestia illa lumina non illustrant illud solum, quod obtinent firmamentum; verùm subjectas latè terrarum oras, luce suâ recreant, radiarumque fovent influxu; ita non ignoras, ex officio muneris Tibi commissi, largiendum subditis, quidquid vel ingenio possides, vel labore es assecutus. Probè tenes felicitatem suo Domino creditorum populorum maximam esse gloriam summi Principis & ut cum vigilantissimo Episcopo loquar Ambrosio, *nihil illi tam utile esse, quàm diligi, nihil tam inutile quàm non amari. b* Vt

(a) *Seneca c. 26* (b) *l. 1. de offic. c. 19.*

decus

decus, ita munimentum præcipuum estexi-mii Principis amor subditorum.

Qua verò ille potissimum ratione obti-nendus sit eodem magistro docemur: *summa,* inquit, *benignitate, opus est, ut non solum publica gubernacula, sed etiam privata iura tueamur; Plurimum juvat benevolentia, quæ omnes studet beneficiis amplecti, devincire officiis, oppignorare gratiâ.* Hac Te arte quis nesciat, summos infimosque demereri? utrique hominum generi aulam auremque apertam geris, accessu non difficilis, affatu humanus, in sermone comis, in responsione facilis, in consilijs promptus, in auxilio etiam paratus. Indignationis siqua tibi justa occasio, nosti iræ offensionibusque moderari; ita subditorum te non modo curam habere demonstras, sed & amorem, ac non tantùm alijs dominari nosse, sed & ipse Tibi. Nimirum hoc præcipuum viscus esse, quo agglutinatus populorum animus suo Principi, blando illicio teneatur, ipsa per te experientiâ didicisti. Sic vallatum ubique latus habes promptisque circum affluunt ciues obsequijs, domestici officijs, exteri honore. Tali Principi, ut tutus sit inquit Seneca, Philosophorum apex, (a) *non est opus instruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, multiplicibus se muris turribusq; sepire: salvum Regem in aperto clementia præstabit. unum est inexpugnabile munimentum,*

(a) De clement. c. 19.

amor civium.

Ita multorum votis applausuque pristinis tuis dignitatibus decus adjecisti, de Comite Princeps, de Prælato factus Episcopus, alteraque manu pedum recturus oves, alterâ gladium easdem propugnaturus suscepisti, cui ego honori, cúm ex meo in Te debito affectuque, tum ex tuo erga me jam pridem merito quód nondum publica contestatione officij gratulatus essem? ea sese nunc dedit occasio, quâ & venerationem delaturus (quam hac epistolâ præsto) & gratiam patrocinij hoc in labore quæsiturus accessi. Nam, ut quidem universe omnibus in errore Religionis versantibus hunc meum laborem impendi, quos in eadem Ecclesia Christi Jesu, eodem redemptos sanguine, in visceribus charitatis pacisque Catholicæ amplecti desidero, ita sigillatim Germanis, ijsque imprimis, quos sub cura & defensione tui prinpatus comprehendis, hoc studium affectumque hunc meum, reducendi omnes ab errore ad salutem, oblatum consecratumque esse desidero. utque votum hoc nostrum tantò altius subditorum tuorum mentibus insideat, ijsdemque singulatim deferatur & innotescat, favorem Celsitudinis tuæ mihi exorandum esse existimavi: præsertim cum nõ ignorem, quanto desiderio subditorum tuorum non præsentem modó sed & æternam

feli-

felicitatem prosequaris, qui apud illos non Principis tantúm, verúm & Pastoris munus vigilantiamque suscepisti. quod si igitur secularis Princeps Imperator Theodosius ingenúe profitetur. *a Inter ceteras solicitudines, quos amor publicus pervigili cogitatione nobis indixit, præcipuam imperatoriæ majestatis curam esse perspeximus, veræ religionis indaginem, cuius cultum si tenere potuerimus, iter prosperitatis humanis aperimus inceptis.* quanto illud tibi studiosius agendum erit, qui pedum gladio præfers, & cum seculari principatu Pastoris quoque boni, animam suam pro ovibus collocantis, personam sustines? Et certé Argentinensis populus, ut ingenio miti facilique, & doli expers, & culturæ patiens, humanitatis aamans, principumque suorúm reverens? ita dignus est, quem omni amore & solicitudine complectaris. Equidem illum quem tuetur errorem non á pertinaci malitia, sed disciplina Majorum proximo seculo blandâ Evangelicæ veritatis, attamen fucatâ promissione seductorum, censeo profluxisse; ut iccirco nihil plerisque illorum, præter sanã instructionẽ, ad unius orthodoxæ Ecclesiæ, salutisquè & concordiæ universalis reditum deesse non ambigam. Ad quam mihi non parum, ut momenti, sic emolumenti Meditatæ huius Concordiæ lectio allatura videtur: utpote quæ ex eijsdem, quas Protestantes veneran-

nerantur S. literis deducta est, multisque verbi Dei sententijs per adversarios veritatis, in protestantum Confessionibus malè præteritis, est locupletata: denique ex eisdem quoque Ecclesiæ orthodoxæ, Notis, quibus veram sentiunt Ecclesiam designari, est illustrata: adeóque nemo sanæ inter illos mentis, qui suæ religionis principia & axiomata æstimat, veritatem salutemq; propriam diligit, hanc potest aspernari. Hac igitur opportunitate fretus, cum pro illo, quo subditorum tuorum salutem cõplecteris, desiderio, nihil Tibi inclyte Princeps, gratius evenire posse existimem, quàm illorum præsenti æternæque felicitati pro viribus consulere, quos à Deo & Christo Jesu salutis nostræ autore tibi sentis commendatos, hoc quantulumcunque est laboris nostri, tuæ ego clementiæ, subditorum incolumitati, diuinæq; gloriæ, devotissimo erga omnes affectu, do, dico, consecroque. Vive diu, rege feliciter. Tibique ac Deo gratum in Domino, atque unâ fide & ecclesiâ, subjectum populum amplectere.

Ita vovet speratque,

Celsitudinis Tuæ cliens humillimus
JACOBUS MASENIUS.

Præfatio

PRÆFATIO

AD INCLYTOS S. R. I. LEGATOS.

Meditationem Concordiæ, in una Religione, & Ecclesia per Germaniam reducendæ, quam à Præfatione ad summos Romani Imperii Principes sum auspicatus, ab eâdem ad Legatos illorum Ratisbonæ pacis studio collectos demissè concludo. Ad quos enim æquius hæc mea de concordia, suo in Epilogo, dirigatur Oratio, quàm ad eos, quos publicæ tranquillitatis concordiæque per universum Imperium procurandæ firmandæque gratiâ convenisse exploratum est? Quos deinde perspicaciores, digniores que huius causæ arbitros pro reductione aberrantium habere potero, quàm viros ingenio perspicaces, experientiâ rerum providos, eruditione excultos, sapientia & æquitate probatos? quales de suâ quosque provincia ac Republica ad communem Imperii salutem procurandam delectos fuisse, non ambigo. Quare cùm quidem universè illic præsentes, tum præcipue. DD. Protestantium Legatos hac supplici obtestatione convenio, quæsoque per salutem publicam privatamq; omnium, ut secum, attenta mente exigant, quanto ipsi totumque Imperium per secessionem in Religione ante seculum factam discrimini objiciantur, & quam facilè, si omnes eo pacis loco studioque collecti, animum seriò huic dissensioni componendæ addicant, tam noxiam Germaniæ universæque Christianitati divulsionem sanare, nobilissimumque Imperii Romani corpus ad pristinam integritatem queant reducere.

Rem oculis, breviter subijciam. Origo hujus discessionis à Luthero nata est, qui cum Ecclesiæ Romanæ autoritatem revereri nollet, illi sese cum aliqua Germanorum parte opposuit, utque suam tueretur causam ad S. Scripturam, quam ad res credendas disertam satis claramque asserebat, in articulis a se Ecclesiæ oppositis provocabat, eiusque se judicio, hoc est Dei, non hominibus, acquieturum profitebatur. Quocirca qui se Luthero ex Romanis pro defensione objiciebant, magnis deinde voluminibus pro Ecclesiæ Romanæ autoritate pugnabant. Quæ res, ut quosdam à præcipiti consilio schismatis revocavit, pluresque nutantes stitit: ita non paucos quoque perplexos reddidit, quod existimarent causam non omninò videri liquidam, quæ tanto scriptorum molimine ad sui defensionem egeret. Vnde dum veterum retrò schismatum, & objectiones, & defensiones, immani hucusque librorum numero frequentantur, paucique hæc legunt, nisi qui opugnandi magis studio, quam proficiendi accedunt; vix hac via apparet exitus. Quare nonnulli hac ætate compendio rem magis agi, veritatemque penetrari posse rati; ut in Gallia Veronius, in Germania D D. VValenburgici, tanquam daturi adversariis manus, eosdem convenêre. pollicentes se eorum reformationem ex S. Litteris haud gravate admissuros, modò promissa abs se lege, hoc est clarâ perspicuâque, & definiti necessariique sensus Scripturâ, eam instituant: Si minus id præstent, iam utique, vel ipsis Protestantibus fatentibus antiquæ Religioni, Ecclesiæque inhærendum. Ego ab adversariis ad disputandum scribendumque lacessitus, Veronii ac VValenburgicorum, ita me partibus adjunxi, ut plus etiam quâm illi Protestantibus conciliandis, atque ab errore reducendis, adjiciam. Nimirum, quod licet ad solam defensionem causæ nostræ, discussis adversariorum argumentis, teneamur? parati tamen simus ad Relgionis nostræ probationem, nec qualemcunque, sed talem, quam ipsimet præscribunt adversarii: & Scri-

& Scripturam S. Scripturæ, ab ipsis productæ, opponere; aut certe magis, ut illustretur, apponere. Quod Scripturæ secum pugnare nequeat? sed tota simul sumenda, non divisim (ut hæreticis familiare est) sit in particulares sensus, opinionesque distrahenda. Quare vel daturi sumus Scripturam expressam, quæ definiti sensus sit; vel, si plurium capax fuerit, ut aut in sensu literali, aut certé magis obvio sumatur. Deinde, si ex collatis aliis Scripturarum locis plures sensus probabiles admittat; ita ut nascatur sententiarum diversitas: tum nobis, quia expressa Scripturæ norma deficit, ex recepta à Majoribus lege fas sit, illi insistere interpretationi, quàm in veteri, ab utrisque probata, Ecclesia primorum fuisse Patrum communiorem deprehendimus. De quasi ambigeretur (quod rarum erit) explicata aliis locis, & à protestantibus etiam agnita Patrum sententia esset exploranda, Denique si Concordia hac lege ex S. Literis iniri nequeat & à Scriptura ad suæ quisque Ecclesiæ institutum convertetur, eiusque definitioni, ut talem, qualem ipsimet Protestantes describunt nobis Ecclesiam, studiose inquisitàm amplectamur. Quod si enim deprehensum fuerit, illas quas orthodoxæ Ecclesiæ Notas tribuunt, has in Romano Catholica potius, quam Protestantium Ecclesia reperiri, prætereaque & istas, quas Nicenum præscribit Symbolum, convenire solis Romanis, Protestantibus ad nos redeundũ esse, planè erit manifestũ, si Matrem suã Ecclesiã salutemq; propriam diligat.

Adjeci postremò, quod si de Scripturæ sensu, vel Ecclesiæ veritate, ex S. Literis philosophicè nobiscum congredi, & quantum ad necessarios fidei articulos, conclusionem conclusioni opponere libeat: neque hanc nos partem defensionis subterfugere. Verùm tum denique apertissimum fore, si præmissæ in eiusmodi Syllogismis ex sola Scriptura expressa non sint, non solum nos pro objecto fidei nostræ verbum Dei scriptum, sed simul rationẽ & judicium humanũ, vel certè verbum Dei traditum debere admittere.

Hæc

Hæc causa universa modusq; causæ, quà per Meditatam Concordiam, Religionem in Germania dissipatam conciliare, omnesq; in unius veræ Ecclesiæ gremio, tanquam observantes Matris filios, colligere sum conatus. Estq; hæc via adcognoscẽdum errorem, veritatemq; tam certa; ut vix arbitrer hominem ratione præditum, qui salutem, patriam, Deum, & inferos ante oculos habeat, & perversis affectibus non planè in sequiorem partem abreptus & excæcatus sit, reperiri in mundo posse, qui hæc mecum seriò expendat, & manifeste aberrantes non deprehendat.

Vos ego vestrasq; conscientias, viri nobilissimi, sapientissimiq; interrogo, postquam tam diu in vestræ Religionis placitis, inter primos exercitati estis, Tantumne vos in ista Religione ex Theologorum vestrorum ac Ministrorum instructione atq; ipsis S. hausisse Literis creditis, ut vel unum articulũ fidei vestræ, prout nobis opponitur, in clarâ perspicuaq; & definiti sensus sententiaq; Scripturâ hauseritis? Etenim si ex Scriptura tali omnia vestræ fidei decreta, tã evidenter, tanquã à controversiarũ Iudice pronuntientur; ut ex his vestri etiã Prædicantes & Theologi à vobis Iudicandi, eorũq; vel veritas, vel falsitas discernenda sit, jã vos illa ignorare nefas erit, neq; vestræ satis erit saluti, circa ejusmodi judiciũ & quidẽ infallibile prospectũ. Et si vos ista lateant ita ut in promptu non sint, ad fidei rationẽ poscentibus reddendã, quid à communi vulgo erit expectandũ? Ignosce, quod ad vestrã appellẽ conscientiam. Equidem cum alium Iudicem, præter Scripturam, nullum admittatis, cumq; hic vobis à vestris antesignanis promissus ac propositus sit, cum in gravissima dissensione constitutis, aliud tribunal nullum supersit, cum de salute vestra, de totius patriæ incolumitate, de familia ac posteritatis vestræ felicitate, de anima, de Deo, de æternitate deliberatio suscepta sit, in tanto rerum discrimine monitor, spero vobis gravis atq; importunus, esse non potero. Tribuetis hoc meæ erga

vos affectioni, cupidissimæ subvenire omnibus in præcepitiũ inclinatis; tribuetis securitati salutis vestræ, cõmunisq; patriæ cui sedula inquisitione nihil potestis officere, prodesse multum: tribuetis denique Christo Servatori nostro, cujus sanguinis pretio ad unius Ecclesiæ Catholicæ societatem Patrumque vestrorum fidem revocamini. An tantis incitamentis potestis obsistere, & tam facilè, quod vobis offero, erroris vestri agnoscendi remedium aspernari?

Sensistis hactenus per solam Scripturam S. vos clarè adeò de fide vestra instructos, ut quivis etiam de vulgo fidelis hinc suos possit Ecclesiæ Doctores arguere, covincere, judicare. Id si verum, offero quam desideratis Scripturam. En in prima parte concordiæ per articulos hodie controversos, ab utrisque (ne qua exceptio locum habeat) Catholicis & Protestantibus exhibitam. quæ nisi suffecerit, adjicite si quam eódem spectantem habetis scripturam, judicate ex illa causam: & eandem deprehendetis, quam hactenus seculis sedecim Romana tenuit Ecclesia sententiam? novitias opiniones vestras perspicuis verbis expositas nequaquam reperietis.

Quod si verò, neque claro satis, neque definito illa sensu loquatur. Agnoscite obsecro rem summis imisque obtestationibus pro salute vestra imprimendam, vos deceptos hactenus à Ministris, dum omnia ad salutem necessaria ita asserunt in scriptura contineri: agnoscite quanta illud veritate negarint hactenus Catholici: agnoscite hos etiam si ex sola certetur scriptura vobis esse potiores: agnoscite vos denique ad humanam ratiocinationem, & interpretationem, per collationem incertam Scripturarum, perque consequentias etiam incertiores, in hominũ fallibili judicio fidem totam fundare. Quamvis enim ipsa Scripturarum objecta veritas, ut ab infallibili principio est, nunquam decipiat: tamen ipsius iccirco veritatis investigatio certa non est, quia ingenii nostri imbecillitas in multis deficit ac labitur: & quo quisque sibi videtur

sapientior,

ſapientior, tantò hic offendit gravius. Quid verius, quam Deum eſſe, qui ſciat ac poſſit omnia? quàm tamen multi in hujus rei inveſtigatione aberrârunt! Manet Deus æternæ veritatis, manet & ſcriptura: Licet circa illum & hanc graviſſimè humano ingenio hallucinemur. Neque aliunde *ait D. Auguſtinus*, hæreſes natæ ſunt, quâm quod bonæ ſcripturæ non bene intelligantur.

Tamen demus hoc quoque ex ſcripturarum interpretatione & ductis ex illis conſequentiis ad veritatem in fide ſatis per eruditos, & in S. Literis perfectè exercitatos homines perveniri poſſe: modò tamen illas, quas prima parte Concordiæ dedimus rectæ interpretationis regulas, non ſolùm accuratè teneant, ſed & adeò feliciter ſequantur, ut nec in una quidem aberrent. Hac re poſita: an, quid conſequens ſit, non videtis? Ad ſolos Prædicantes & Theologos veſtros, & fortè non omnes, jam hoc judicium ex ſcriptura defertur. Manifeſtè decepti eſtis hactenus, nihil vulgo fidelium, nihil vobis pleriſque, niſi forſitan ad Theologiæ veſtræ adyta admiſſis, credendum amplius. Quidquid vobis Prædicantes veſtri de cathedra dixerint, acceptandū pro norma eſt: niſi fortaſſe tam ſagaces ſitis, ut licet de ſcripturis non ſatis inſtructi, Dei tamen verbū à verbo hominū poſſitis diſcernere, videte in quem labyrinthum erroris hæc vos deducat religio.


Verùm agite, & hoc rurſum concedamus vobis: poſſe vos interpretationi & conſequentiis Doctorū fidere: Iā ſciſcitor, an nō certius tutiusq; poſſitis fidere toti alicuius Eccleſiæ ſcripturā uno ſenſu interpretanti, quàm Prædicantibus, qui tot locis ſecū diſſident, & quibuscū Sociniani, Ariani, Anabaptiſtæ, & id genus Sectariorū de ſcriptura, iiſdem argumentis contendunt? Dicetis ut vos ad ſynodos conſenſionemq; multorū recurrere. Rectè ſane. At ulterius ſciſcitari liceat. Nūquid inter Eccleſias illa præferenda ſit, quā vel olim incorruptā extitiſſe vel etiānū ex certis Notis verā integrāq;

pars

pars utraq; pugnantiū admittere se profitetur? Nec hic quisquā jure poterit obluctari. Hanc igitur vniversis talē, qualis ab ipsis Protestantibus vel olim agnita, vel nunc descripta est, vobis exhibeo: ut si priora in tribus à me partibus ostensa nondum ad errorem deprehendendū sufficiāt, hic jā in postremò in Conslusione is queat palpari. Hac si æqui bonique facitis, si, ut par est, pro vestra omnium salute accipitis, ad certam Ecclesiarum reductionem & unitatem, viā toti Imperio videtis aperiri. Sed his, dicetis, respondebunt Theologi nostri. At novi ego, O Domini, plures eorum sapientes eruditosq; jam in conscientia de veritate convictos, vestrum assensum tā manifestæ Demonstrationi meæ factā, non probaturos modò, verū & defensuros. Scio etiam non defore calumniatores (neq; enim adversarius noster dormit) qui magis illudant, & convitientur, quàm respondeant: qui verò lege à nobis postulatâ eâq; certâ & æquâ, hoc est, vel per solam expressam claramq; scripturam, vel per veterem orthodoxam Ecclesiam, communiori sententia S. Literas interpretantem, vel deniq; per formales tantùm apodicticosq; ex scriptura syllogismos respondere audeat, talem omnino reor futurum neminem. Ita enim repente tota fraus & impostura illorū ad oculū pateret, quodq; nec clarè expressa & definiti sensus scripturæ, nec ex scripturis certæ infallibilesque consequentiæ suppetant, nec denieq; vetus S S. Patrum Ecclesia eorū interpretationi faveat, planè fieret manifestum. Logodædali itaq; defuturi non sunt (quos alio, quam quod dedimus responso non dignabimur) qui variis omnia involucris verborū & interpretationū, nec ipsi quidem inter se de rebus fidei consentientes, involvent. Vt dicantur respondisse postquam novis interpretationibus, & originalium liguarū, ut solent (quo fucum doctrinæ specie obtegant, & à paucis suorū judicari poßint(intrusis textibus, omnia confuderint magis, quā illustrarint. Hi enim quid aliud faciant: nisi

quod

quod videantur profiteri, nullum esse scripturæ S. textum per legitimam expositionem hactenus apud vos productum, per quem vobis liceat tutò judicare de veritate. Cum ista, quæ latet certa atque indubitata in originali textu sententia, nondũ vobis sat fuerit explorata. Deinde patet fieri non posse, ut vos in tanta sensuum, qui è Scripturis eruuntur varietate, certi sitis de una definitaq; fidei sententia, (quis enim illam definiet, cum scriptura non faciat, quam variis interpretationibus indefinitam in sensu relinquunt?) videtis igitur, O Domini, hoc pacto vobis non deferri, sed eripi omne ex scriptura judicium, & ad fallibiles hos commentatores transferri, quos si pro vestra habeatis Ecclesia, earumque verba pro verbo Dei, animadvertitis, opinor, ad quam denique desperationem in religione vestra præcipitemini.



CONCLVSIO
MEDITATÆ CONCORDIÆ. PROTESTANTIBUS, JUXTA PROPRIA PRINCIPIA, AD ROM. ECCLESIAM REDEUNDUM ESSE,

INTRODUCTIO.

Quâ ostenditur,
DESPERATAM PROTESTANTIUM CAUSAM ET Defensionem cum summo illorum probro esse, nisi ad Romanam Ecclesiam convicti revertantur. Ad quam æquissimâ conditione revocantur, ut hanc detrectare nequeant.



UM IN MEDITATA CONCORDIA PACIS in Europa publicæ salutisque amore, omni studio adnisus sim, ut aberrantes à veritate Sectarios ad unum ovile pastoremque reducerem, idque argumentis tam solidis & inconcussis egerim, ut adversariis hactenus silentio veritatem contestantibus, nullius, quantumvis ad subscribendum, vel respondendum provocati, tanta audacia reperta sit, qui ea suo in ordine convellere, & tentatis adverso robore fundamentis disjicere aggressus sit. Nonnulli tantum institores, tanquam muscæ quædam sugillantes hinc inde infestati sunt; quorum desperata res & spes hoc pacto non obscurè proditur, & sine adversario profligatur. Quod fieri non possit, ut eversis à me, contradicentium principiis, & non ex integro restitutis, quisquam Protestantium sua in religione de veritate & salute securus consistat. Hinc in spem veni, fore ut sua demum conscientia, erro-

roris jam abundè convicti, ad mentem Ecclesiamque Catholicam, unde malè divulsi sunt, postliminiò revertantur, non minori redeuntium gloria, quam probro olim recedentium, & hodiedum resistentium ignominiâ.

I. Quantum enim dedecus pertinacissimè aberrantium hominum est. Illos qui in publica Europæ luce professi sunt, se ex solo verbo Dei scripto suam reformare atque instituere Ecclesiam decrevisse, omni verbo hominum, ut fallibili, procul ablegato: Hos deinde per communis patriæ & salutis amorem, per concordiæ pacisque, si id præstent, oblationem, nec rogatos nec provocatos, adduci tot precibus ac contestationibus posse; ut sine fallacibus hominum verbis infallibile Dei verbum promant, quo & nostram religionem evertant, & probent suam.

II. Quantum iisdem probrum, quòd hi qui suam religionem non ex solo verbo Dei scripto, sed ex tradito quoque firmare solent, tamen pacis concordiæque studio, & desiderio revocandi tam fœdè aberrantes, ex solo verbo Dei longè illustriorem suæ fidei regulam ideamque forment, quàm Protestantes solo verbo scripto nixi, unquam producti sint, aut si id possint, dedecus æternum sit, & non ferenda, nec defendenda, coram supremo Judice Deo negligentia, id neque suæ, neque alienæ salutis causa, nec rogatos, nec provocatos præstare.

III. Quanta ignominia, à desperantibus justam plenamque ex formalibus Scripturæ verbis suæ causæ & religionis defensionem, postulari, ut saltem apodicticis illam syllogismis, quæ à nemine sano in dubium trahi queant, & quorum veritate certà tam rudis quàm doctus, suam fidem agnoscere & tueri possit, clarè diserteque exhibeant? sed ita, ne in humanis & fallacibus verbis ac propositionibus fides divina fundetur, ab iis qui solum verbum Dei scriptum venditant, humanum procul explodunt: & tamen nec hoc quidem à quoquam præstari? Sed frustra hæc jam à pluribus annis flagitamus, etiam supplicibus ad publica Francofurti & Ratisbonæ Comitia literis, quando illam quæ non favet discessioni Protestantium Scripturam S. nec Diabolus quidem ipse, quantovis ingenio præditus, ad illorum justam defensionem inflectere poterit. Jamque tot irritis conatibus, per suos Catechismos, Confessiones, Conciliabula, nihil aliud egerint, quàm ut S. Scripturam humanis verbis commentisque ad suas opiniones perversa interpretatione inflecterent, & ut verbum Dei ipsis, non ipsi verbo obsequerentur.

IV. Quantum rursum dedecus est, quod Catholicus ex sola Scriptu-

Scriptura S. Confessiones fidei adversatiorum, tot sententiis articulisque reformet, quos illi Professores inanes verbi Dei, innumeris locis eodem spectantibus praeterierant; Nonne manifestae fraudis hic deprehensi coguntur erubescere, quod potissimâ parte S. Scripturarum neglecta, non nisi corruptam proferant sententiam? Et si in judicio profano, ubi de corporis salute agitur, hoc indignissimum factu est, quid erit in divino ubi de animae salute pronuntiatur? O neglectam hominum fidem! ad haec sine rubore & cura aeternitatis conticessimus? tam manifesti erroris non pudet? perditionis non interest?

V. Si aliquae ex Scriptura S. sequelae, si interpretatio ulla verbis humanis, vel ex alio Dei verbo, vel ex ratione ducta, in controversiis fidei audienda est, an verior securiorque dari poterit, quàm quae est Patrum proximis à Christo & Apostolis saeculis viventium scribentiumque? At hos dedi, tam luculenter pro nostra religione sentientes, ut ipsorummet Protestantium testimoniis, Doctores illi sensu Romano & Catholico locuti sint. An frons tam proterva est Novantium, quae his se ausit interpretibus interpretem opponere? aut diffiteri, quod tot Protestantes fatentur, Patres magis pro Romanis facere, quàm Neodoxis?

VII. Si postremò in illa dissentientium inter se partium contentione, ad Ecclesiam Synodosque, pro sententiae definitione & controversiarum absolutione, utrimque conveniendum sit; ut in Catholica Ecclesia ab Apostolorum temporibus solenne, à Protestantibus quoque passim dissensionibus ingruentibus usurpatur; ipsos nunc sciscitor Adversarios, quam potissimum Ecclesiam sentiant eligendam? Unamne ex illis, quas nuper vidimus ex praetensa reformatione, diversorum tamen diversa, exortas? an ad illam, quae ante hac extitit, cujus alia, quam ab Apostolis, origo ignoratur? cui Christus usque ad consummationem seculi se promisit adfuturum? contra quam, supra Petrum petramque fundatam, nec ipsae quidem portae inferorum praevaliturae sunt? quae toto orbe propagata, eidemque manifesta, par est civitati supra montem positae, quae abscondi nequit, ad cujus portas semper apertas gentibus undique affluentibus accessus patet, & ad quam in omni controversia salutem spectante omnibus litigantibus est recurrendum? Haec una est; adversarii nobis ostendunt particularibus orbis angulis abditas. Haec Apostolica; adversarii ostendunt Lutheranas, Calvinianas, Socinianas, Anapaptistas: & quae horum praestet, nemo vel unica ratione

tione quâ Hæreticus non utatur, poteſt evincere. Quod ſi æqui partium arbitri Proteſtantes eſſe velint, jam lis tota ad Eccleſiæ noſtræ judicium referenda, haud magna difficultate finiri, optataque pace concludi poteſt.

VII. Verum tamen, quia multorum Prædicantium Procerumque, eorum præſertim, qui ex lite hac aluntur Eccleſiaſticorum bonorum poſſeſſores, hæc tam facilis æquitas, & æqua facilitas futura non eſt, ultimam his flectendis machinam admovebo, quâ vel expugnem glorioſâ ipſis victis victoriâ, vel tam arctis veritatis vinculis cõſtrictos includem, ut qui credère noluerint cum laude vincendi, æterna confuſione vincti teneantur.

Primò enim, Pacis concordiæque gratia illam quam ipſimet nobis Proteſtantes certis Notis deſcribunt & exhibent Eccleſiam, hanc veram eſſe, eamq; quam omnes ſequi, cujus audire ſententiam, & ultimæ definitioni in rebus Scripturæ controverſis teneantur acquieſcere, lubens pariar, admittamque; ſed ea lege pactoque, ut ſi Notas iſtas veritatis, quas ſuæ Eccleſiæ tribuunt, magis Catholicæ Romanæ congruere evicero, tunc ſine longiori tergiverſatione ad eam omnes tranſire obligati ſint, & niſi fecerint, humano divinoq; judicio falſitatis rei habeantur. Videte quantum adverſariis ultro largiar. Notis illis, quibus vera Eccleſia in ſymbolo Nicæno deſcribitur, quod ſit *una ſancta, Catholica, & Apoſtolica*, ſine dubio conjunctis vincimus. Jam, ſi poſthabitis illis, Notis, quas ſuæ Proteſtantes appingunt Eccleſiæ, hoc eſt *pura verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione*, noſtra quæque vincat Eccleſia, quis neget de adverſariis eſſe conclamatum? Hoc autem tam ſolidis certiſque nos argumentis facturos exiſtimo; ut quod Proteſtantes cum his conferant, nec umbram quidem veritatis habiturum videatur.

Secundò ubi nec hic quidem acquieverint, ad veterem illos nulliqe partium jure ſuſpectam, ſed utrique meritò venerandam per ſolidiſſimas rationes ducam Eccleſiam; ut quibus illa proprius veriuſque faverit, ad hos alii pacis concordiæq; gratia accedere teneantur, & ni fecerint Deo hominibuſque tanquam veritatis, pacis, & ſalutis privatæ, publicæque oſores execrabiles maneant. Quare concluſio hæc mea in eo potiſſimum verſabitur, ut veram denique Proteſtantibus oſtendat Eccleſiam, ad quam aut redeundum illis ſit, aut miſerè æternumque pereundum. Quod ut Deus Opt. Max. ab eis malum avertat, hunc ſalutis illorum amore ſtudioque laborem ſumpſi.

TRAC-

TRACTATUS I.
DE NOTIS ECCLESIÆ PROTESTANTIUM,
Juxta quas ad Romanam Ecclesiam redire teneantur.

CAPUT I.

Quâ viâ ad orthodoxæ Ecclesiæ investigationem expeditè liceat Protestantes deducere.

I. QUandoquidem præcipua hujus ætatis controversia, quæ una omnes complectitur, de Ecclesia orthodoxa est: meritò hujus investigationi, multi, suæ alienæque salutis amantes, præcipuum studium impenderunt, & hunc sanè omnium ad salutem aspirantium oculi, antè cetera, vertendi sunt, non secus, quam ad arcam Noé illis olim, qui ex diluvio erant servandi, *Fac nos*, inquit Augustinus de utilit. cred. tom. 6. c. 7. *Nunc primum quærere, cuinam religioni animas nostras purgandas instaurandasque tradamus, procul dubio à Catholica Ecclesia sumendum exordium.* Ita planè hinc exordiendum erit; atque illa quidem, quam Augustinus insinuat, ratione, id expeditissimè futurum est. Si nos velut extra omnem Ecclesiam Christi constitutos, nunc *primum quærere* fingamus. Hoc est, omni partium affectu exuti statuamus, aliquam quidem Christi in terris Ecclesiam, extra quam salus nulla sit, reperiri: de hac tamen, in tanta concertantium inter se Ecclesiarum diversitate, minus certi, unam illam veramque salutis nostræ remedia complectentem investigemus.

II. In hac porrò contentione illud omnibus certum est: hanc solam in omnibus orthodoxam esse, quæ verum totumque Dei verbum complectitur, ejusque sententiæ fidem moresque proximè conformat, Apostolicamque refert Ecclesiam. Sed cum quævis Ecclesiarum id sibi vendicet, neque hæresis ulla fuerit, quæ non prædicet Scripturæ sese atque Apostolicæ Ecclesiæ conformem doctrinam sectari, adeoque de hac thesi cum orthodoxis contendat: inquirendum nobis in præsenti dissertatione erit: quibusnam ex signis hanc Ecclesiam discernere

ab hæreticorum schismaticorumque conventiculis liceat, quæ sola & unica cum verbo Dei Apostolicaque doctrina proximè, in articulis omnibus ad salutem necessariis consentiat? Quæ thesis, cum præcipuè in controversia versetur, diligentissimè notanda est, ad omnem hæreticorum fallaciam & subterfugia manifestanda; qui cum omnibus præsidiis, per rationes oppositas dejecti, subsistere nullibi tuto possunt, tunc ad hoc ipsum, quod controversum est, relabuntur, & quod Philosophi aiunt, petunt principium, affirmando se cum verbo Dei, sua in sententia ac fide, conformari. Unde ridiculè ac pueriliter fundamentum suæ religionis assertionisque in eo statuunt, quod est controversum. Ut si denique post varias ambages disputationum affirment, ideò conformem esse doctrinam suam cum verbo Dei; quod cum verbo sit conformis. Quæ puerorum etiam inanis responsio est explodenda. Quocirca hæc effugia compertæ falsitatis haud levia sunt argumenta.

III. Ad veræ igitur Ecclesiæ investigationem ante omnia illius nobis nativæ proprietates, ex quibus dignosci queat, tum ex S. Literis, tum ex communi Patrum, partiumque consensu inquirendæ, atque ante oculos statuendæ sunt. Qua in re ita versabor, ut quod Protestantes ipsimet hoc in genere potissimum sentiunt, illud pro fundamento investigandæ veritatis, concordiæque veteris reducendæ adducam, quo ex suismet principiis quæ repudiare non poterunt, aberrantes facilius ad veritatem reducam.

IV. Sed enim, quod ibidem observandum esse monui, de Scripturæ divinæ sensu, qui potissimum in controversiam trahitur, ille imprimis tenendus est, qui antiquitus in Ecclesia receptus, & à majoribus traditus ad nos pervenit, præsertim si litteralis ille obviusque, aut etiam à primorum sæculorum Patribus agnitus defensusque fuerit. Nec quisquam omnino æqua ratione, aut fide salva, ab ejusmodi sententia poterit deflectere, nisi pars opposita suum sensum, ex ipsa Scriptura S. tanquam interprete ac judice clarissimo, necessarium definitumque esse demonstraverit. Quod Protestantibus, qui Romanæ Ecclesiæ Reformatores esse ac dici volunt, utraque aure attentoque animo excipiendum est, ne tantum laboris chartarumque irrito conatu, nulloque emolumento ad salutem impendant: ut in hac de Ecclesia thesi malè nuper versato D. Joanni Musæo Jenensi Theologo, ideoque à P. Erbermanno justissimè castigato: & Henrico Mejero Prædicanti Brunsuicensi in Heethausen eandem

dem Thesin meam, de incorrupta verbi Dei in Ecclesia prædicatione, temere vellicari accidit. Hāc ego ante annos aliquot Coccejo Leidensi, apud Batavos, Theologo opposueram, cum præstantissimorum id temporis apud Protestantes Theologorum invitatione, ut D D. Hulsemanni, Danhavveri, Dorschei, Habercornii, Callovii, Crocii, Matesii, Hundii, Silvii aliorumq; quos haud procul absentes noveram : quibus vel ipse coram obtuli, vel submisi. Verum eâ, qua dixi lege, quam sibimet fixerunt omnes quotquot ex solo verbo Dei scripto reformasse Ecclesias volunt. Nisi enim necessarium, sed probabilem solum, aut possibilem nobis scripturæ sensum exhibent, frustra exigunt, ut eis assentiamur. Sed Mejerus, qui hanc justissimam postulationem (in præfatione libri num. 2. cui hæc thesis, tanquam Index veræ Ecclesiæ annexa erat,) vel non vidit, vel dissimulavit, ausus est, inter tot ingenio præstantes viros, & de hujus veritatis eversione desidentes, stylum sumere, oculosque Ecclesiæ orthoxæ configere, plus ignominiæ ab infelici conatu, quam alii ex desperatæ causæ silentio habituri. Neque hunc ego confutatione aliqua dignum censuissem, nisi & gravium virorum præmissam adferret approbationem, & hanc censuissem esse materiam, quæ solidius pertractata, atque ex fundamentis discussa *Meditatam* ex S. Literis *Concordiam* posset concludere, aberrantesque à vera Ecclesia manifestis signis revocare.

CAPUT II.

Quæ sit juxta Protestantes vera Ecclesia, quæque illius notæ & proprietates?

1 PRiusquam de Notis Ecclesiæ videamus, de ipsa antè Ecclesia, quid nominis reique sit, videndum erit.

Ecclesia universali sensu, ex ipso nominis etymo græco ἐκκαλεῖν evocare, est cœtus evocatorum, sic 1. Reg. 8. 14. dicitur *Rex benedixisse Ecclesiæ Israel* collecto videlicet populo. Ita & Paulus Act. 19 40. Christianos cum Judæis Ephesi dimittens, fertur *dimisisse Ecclesiam.*

Nos de Christi sola Ecclesia agimus. Quæ vel universalissima est, cœlum terramque suo ambitu complexa, de qua Paulus Eph. 1. 10. *Instaurasse in Christo omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso* cujus fundamentum & caput est Christus 1. Cor. 3. 11. *Fundamantum enim aliud nemo potest ponere, præter id*

quod positum est, quod est Christus Iesus, & Ephes. 5. 23. *Vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ.* Et hæc in triumphantem, quæ cœlestis est, ac militantem, quæ terrestris, dividitur. Militans illa est, quam nos inquirimus, quæ vel universalis est toto orbe per Apostolos successoresque propagata, vel particularis certorum locorum & provinciarum, de illa Christus Matt. 16. 18. ait ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & por æ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæc enim perpetua in terris usque ad finem seculorum futura est. Hujus amplitudo jam à Deo Patre olim Christo promissa est Psal. 2. 8. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; Unde Catholica quòd omnium sit temporum & locorum, dicta est, ac de hujus potissimùm notis ac proprietatibus inquirimus: cùm de illa, tanquam legitimo in terris judice dictum nobis sit, in oborta lite: *Dic Ecclesiæ, & qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus* Mat. 18. unde, inquit, Confessio Argentin. c. 15. *Ecclesia est Sanctorum socie tas, ut in symb. Apost. expositum est, hanc regit Spiritus S. huic Christus nunquam abest; sed sanctificat, &c. denique qui audire non justinuerit, ut ethnicus habendus est.* Non quòd ad totam hanc Ecclesiam per orbem sparsam recurrendum sit, sed quod ad talis Ecclesiæ Rectores, quæ cum plerisque Christiani orbis Ecclesiis habent societatem, ejusdemque veritatis sequatur sententiam, quam nec inferi subvertere toto orbe possunt. Cæteræque Ecclesiæ particularium, ut Corinthiorum (de qua Paulus 1. Cor. 12. 27. *Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro*) sicut membra stante corpore poterunt deficere: ideóque ad has, nisi cum toto junctas corpore, non est recurrendum. Nunc de Protestantium doctrina, quæ qualisque universalis hæc Ecclesia sit, quibusque à ceteris malignantium Ecclesiis, notis atque insignibus distincta, videamus.

II In Augustana Confessione Carolo Imper. oblata sic habent art. 7. *docent, quòd una sancta Ecclesia, perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta, & ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum.*

Ob hanc Ecclesiæ definitionem, cùm perstricti graviùs essent Lutherani, quòd universalem Ecclesiam constituerent cœtum aliquem Sanctorum, qui ut talis, soli Deo innotesceret, ideòque

ideòque cùm de recta doctrina Evangelii usúque sano Sacramentorum lis suborta esset, nullum relinquerent hominibus signum, ex quo possent ad orthodoxam Ecclesiam penetrare, quòdque exclusis ab Ecclesia improbis, frustra viderentur esse remedia pœnitentiæ, quæ eidem Ecclesiæ ad sanandos improbos relicta sunt. Scripturam denique S. diversis locis diversa sentientem opponerent, ut Mat. 3.12. triticum cum paleis in eadem area jungentem. Mat. 13. 47. sagenam bonos malósque pisces congregantem 1. Cor. 11. 9. omnes de uno pane, aliósque ad salutem, alios ad judicium manducantes. Expositâ denique Protestantes clariùs sententiâ, sic in sua Apologia §. de Eccles. loquuntur. *Septimum art. Confessionis nostræ dãnarunt, inquit, in quo diximus: Ecclesiam esse congregationem Sanctorum, &c. Ob hanc causam adjecimus art. 8. ne quis existimaret, nos segregare malos, & hypocritas ab externa societate Ecclesiæ aut adimere Sacramentis efficaciam, quæ per hypocritas aut malos administrantur, &c. concedimus quòd sint membra Ecclesiæ, secundùm externam societatem signorum Ecclesiæ, hoc est verbi professionis & Sacramentorum.*

III. Juxta hanc doctrinam in iterata sua Confessione Augustana sic Ecclesiam definiunt: *docent quòd una, sancta, Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia Christi propriè congregatio membrorum Christi, hoc est, Sanctorum, qui verè credunt & obediunt Christo, etsi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admisti sunt, usque ad novissimum judicium. Habet autem Ecclesia propriè dicta signa sua, scilicet puram & sanam Evangelii doctrinam, & rectum usum Sacramentorum: & ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum.* Similia habet Saxonica Confessio art. de Ecclesia, Wittenbergica 16. n. 2. 3. & 7. Argentinensis cap. 15. & receptissimæ inter Lutheranos Institutiones catecheticæ Dieterici in symb. Apost. ut infrà magis patebit

IV. Huic Lutheranorum Confessioni accedunt quoque Reformatores Calvinistæ, qui in Gallica sua Confessione art. 27. sic Ecclesiam Christi definiunt. *Affirmamus ex Dei verbo Ecclesiam esse fidelium cœtum, qui in verbo Dei sequendo, & purâ religione colenda consentiunt, &c. minimè tamen inficiamur, quin fidelibus hypocritæ & reprobi multi sint permisti.* Et art. 28. *simul affirmamus: ubi verbum Dei non recipitur, nec ulla est professio obedientiæ, quæ illi debetur, nec ullus Sacramentorum usus, ibi propriè loquendo non posse nos judicare ullam esse Ecclesiam.*

Anglica Confessio sic habet art. 19. *Ecclesia visibilis est cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, & sacramenta quoad ea, quæ necessario exiguntur, juxta Christi institutum rectè administrantur. Sicut erravit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina & Antiochena; ita & erravit Ecclesia Romana, non solum, quoad agenda, & Ceremoniarum ritus, verum in iis etiam quæ credenda sunt.* His similia habet Scotica art. 18. Synodus Dordrechtana c. 29.

V. In hoc igitur Calvinistæ plerique à Lutheranis differunt, quod illi ad priores notas doctrinæ puræ & Sacramentorum adjiciant tertiam *Professionem obedientiæ erga doctrinam & ministerium.* Quæ notæ, ut Ursinus & Pareus in Catechismo Heidelb. quæst. 54. n. 3. in illo Christi dicto, Matth. 28 continentur. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæ præcepi.* Verum nobis in præsenti satis est, Protestantes in certis quibusdam notis designandis convenire, sive unæ, seu plures fuerint, quarum certo judicio ad veræ Ecclesiæ investigationem ex illorummet sententia, deducamur. Quod si enim suismet notis ad nostram deducantur Ecclesiam, cum & signis à nobis positis eodem revocentur, non poterunt à tam manifesta ad veritatem ac salutem via, nisi desperatæ obstinationis sint, absistere.

VI. Amesius in Bellarmino Enervato l. 2. de Eccl. c. 3. n. 3. putat has notas tanquam essentiales, illa Ecclesiæ definitione Bellarminum comprehendisse: *Est cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione & eorundem Sacramentorum communione colligatorum sub regimine legitimorum Pastorum.* Quod facilè Protestantibus indulgebimus, cum non tantum de essentia sint, sed etiam ratio formalis, per quam Ecclesia hæc Christi ultimò constituatur, tanquam ens, ut ajunt, per accidens aggregatum, in certa unitate complectens omnes quotquot Christi fidem, seu verè seu fictè, profitentur, Sacramenta usurpant, legitimo Pastori subjacent: ut tam infideles occulti, quam improbi esse possunt; ac præterea distinguat ab aliis, cum per fidei professionem excludantur Hæretici, Apostatæ, & infideles: per usum Sacramentorum Catechumeni, & excommunicati (nisi fortè voto jungantur, per subjectionem legitimis Pastoribus debitam schismatici. Requirimus itaque cum Protestantibus ad Ecclesiam Catholicam. 1. Puram incorruptamque orthodoxæ veritatis doctrinam ac professionem. 2. Legitimum usum Sacramentorum. 3. Obedientiam divinæ authoritati debitam. Quod sola ulti-

ultimaque ratio hujus obedientiæ, quæ legitimis Pastoribus exhibetur, sit Dei præcipientis autoritas. Neque hoc ultimum signum latiori sumptum nomine aut Lutherani, aut Calvinistæ poterunt aspernari; cum id salva incorruptæ veritatis professione fieri vix queat. Hinc præceptum: *Obedite Præpositis vestris.* Et *qui Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus.* Et Cyprianus l. 4. Ep. 9. per hanc notam distinguit Ecclesiam: cum ait, *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata & Pastori suo grex adhærens, &c. Et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.* Quod si tamen detrectent, in prioribus ad nostrum propositum sufficientibus acquiescemus, cum viatori satis sit, si vel uno Duce urbem, quam spectat, assequatur.

VII. Sed nec Protestantibus difficulter in eo assentiemur, quod duplex Ecclesiæ Catholicæ forma sit, una interna vitæ, sive per charitatem operantis fidei, per quam viva membra constituamur corporis Christi, sive Ecclesiæ: altera externa, quæ est conjunctio in professione talis fidei, usuque Sacramentorum. Verum quia prior forma in hypocritis non reperitur, quos tamen in Ecclesia per externam professionem omnes esse agnoscunt. Hinc definitio visibilis Ecclesiæ, non potest per internam formam dari, quod sic hypocritas non includeret.

Invisibilis quidem Ecclesia Sanctorum, sive Electorum (Si tamen Ecclesia, quæ est convocatio, hæc dici possit) illa poterit definitione comprehendi, quæ internam formam solam cóplectatur; sed talis Ecclesia improbos hypocritasque formaliter ex ratione sua essentiali excluderet, ideoque non est illa Ecclesia nobis in symbolo fidei, & Christo proposita, ad quam tanquam horreum, triticum cum paleis congregatur, quæque civitas est, supra montem posita: cum ista soli Deo sit cognita. Neque conjungi in eadem definitione utraque forma poterit, cum se mutuò destruant, prout in hypocritas cadunt, quod prior hos forma excludat, includat posterior. In eadem autem definitione stare non potest, quidquid sic oppositum est, ut nullum ad se invicem ordinem habeat. Ita nisi anima hominis ex natura sua ad corporis societatem ordinata esset, unâ non posset, cum eodem hominis definitione comprehendi. Pari modo Ecclesiæ viva fides, cum non tantum non ordinetur ad professionem hypocritæ, sed eidem etiam repugnet, sub hac ratione eandem constare definitionem nunquam poterit, cum hæc sit rerum in ratione formali convenientium. Unde Protestantes, qui hunc articulum symboli *Credo unam, sanctam, Ecclesiam Catholicam*, de Ecclesia

Sancto-

Sanctorum tantùm accipiunt, hypocritas formaliter excludunt, quòd repugnet hypocritis talis ratio definitionis. Qui verò eam electorum, quàm vocatorum intelligi volunt, non unam, sed duplicem Ecclesiam sibi machinantur. Quod opinor Lutheranos vidisse in Catechesi sua ex Luthero Dieterici, cùm in symbolum Apost. quærunt.

Cur dicis, *Credo Ecclesiam sanctam, &c.* Respondentque. *Quia formaliter statuo, Deum ministerio verbi & Sacramentorum sibi semper in hoc mundo Ecclesiam colligere, eandemque usque ad finem mundi conservare velle.* Esa. 55. 10. & seq. & 59. 21. Matt. 16. 18. & 28. 19. Joh. 10. 16. Subjiciunt: *Quid igitur est Ecclesia?* Respondentque: *Est cœtus hominum vocatorum visibilis amplectentium verbum Dei, & rectè utentium Sacramentis.* Qua in definitione externam etiam formam neglecta interna, tanquam non convenienti universis membris, adhibent. Sic multitudinem credentium in Actis quoque Apost. descriptam invenimus, *qui receperunt sermonem ejus baptizati sunt, & appositæ sunt in illa die* (ad finem profitentes) *animæ circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* Et hanc descriptionem ex notis Ecclesiæ factam, Marloratus in Tesauro loc. com. *sub voce Ecclesia*, agnoscit, quæ cum illa, ex Mat. 28. paulò antè recitata consentit.

Accedit, quod D. Augustinus Pelagianis accenseat illos, qui Ecclesiam Christi ex solis Sanctis constant, ac circumscribunt. *dicunt*, inquit de Pelagianis hæres. 88. *vitam justorum in hoc seculo nullum omninò habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi hac mortalitate perfici, ut sit omninò sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia. quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra,* Mat. 6.

VIII. His de Ecclesiæ Catholicæ natura præmissis, jam de illis, quas nobis Protestantes assignant orthodoxæ Notis facilius cognoscetur. Et has quidem universè duas, *puram verbi Dei prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem* esse statuunt. Quibus tamen alii, ac præcipuè Calvinistæ tertiam adjiciunt: *obedientiam ministris verbi Dei*, seu, ut quidam loqui malunt, *verbo Dei præstandam.*

Sed Protestantibus hoc loco Catholici objiciunt. Has Notas æquè obscuras esse, quàm sit ipsa Ecclesia, ideoque ad hanc nobis esse duces non posse. Quis enim mihi aperiet, ubi & quænam illa sit verbi Dei pura prædicatio: cùm hanc sibi non

minùs

minùs Catholici, quàm Protestantes vendicent: ut qui icirco solùm credant propositos Fidei articulos, quia per suasissimum habent; ita Deum verbo scripto aut tradito docuisse?

Iterum quis dicet, quæ pars legitimè Sacramentis præ alia utatur, ubi perfectior vigat obedientia legi Dei præstita; cùm quævis hæc sibi præ reliquis arroget? Notæ igitur aliæ ad has Notas indagandas jure requiri. Quod si Protestantes asserant: hæc ex verbo Dei scripto ab illis dijudicanda esse, qui verâ Fidei luce illustrati sunt; redit quæstio. Unde illi nobis dignoscendi sint? si dicant, ex verbo Dei scripto utrimque admisso, & conformitate Ecclesiæ totiusque doctrinæ cum illo hoc agnoscendum esse: jam altiùs labyrinthum hunc ingrediuntur, & semetipsos in omnes illas difficultates ingerunt, quibus eos tribus patribus Concordiæ ostendimus implicatos.

Dietericus *in Catech. Lutheri de Notis Eccles.* Putat se aliquam lucem huic rei adferre, cum inquit: Has Notas, vel ipsam formalem rationem Ecclesiæ ingredi, prout illam constituunt, & ab alia hetorodoxa Ecclesiâ distinguunt: vel ut effecta veræ Ecclesiæ, causámque instrumentalem ejusdem propagandæ considerari, & hâc viâ nos per illas tanquam notiora signa, ad orthodoxæ Ecclesiæ cognitionem deduci. Verùm aliud nihil asserit, quam ad ipsam verbi Dei actualem prædicationem, Sacramentorum usum, obedientiámque attendendum nobis esse; quæ si universa verbo Dei maximè conformentur, tunc veram nos habituros Ecclesiam. At, hoc opus, hic labor est.

Nos tamen cùm in tota hac Concordia pacis salutisque communis gratia ad leges adversariorum de verbo Dei scripto propiùs accesserimus: nunc quoque ad illorum tantisper Notas adstringi patiemur, ut si in his quoque Ecclesia nostra Romana potior reperta fuerit, tum omnino detestabiles futuri sint Protestantes, utpote de manifesta in hæresi pertinacia convicti, nisi Catholicorum partibus sine cunctatione, in tanto salutis discrimine accesserint.

CA-

CAPUT III.

Notæ illæ veræ Ecclesiæ, quas Protestantes designant, essentiales (ut loquuntur) & perpetuæ illi sunt, quæ est universalis.

I. Quisquis superiores illas Ecclesiæ definitiones expenderit, ambigere nequaquam potest, essentiales perpetuasque has notas haberi, cum non solum ut proprietates illius, quam credimus, quamque investigamus Ecclesiæ adhibeantur; sed ultimam ejusdem rationem formalem constituant. Expende allatas definitiones universas, illam etiam, quæ in prima Confessione Augustana de visibili Sanctorum Eccesia data esse quibusdam videbatur, quam *per legitimam Evangelii & Sacramentorum administrationem*, tanquam necessaria illius Ecclesiæ effecta ac signa, nobis definiunt, atque investigabilem solum esse ostendunt. Ut licet daremus, nullam nisi Sanctorum Ecclesiam Christi in terris dari, aliæ tamen nobis ad hanc inveniendam notæ magis essentiales à Protestantibus nullæ exhiberi possint. Prior itaque ratio est, qua hæ notæ Ecclesiæ universali essentiales ostenduntur, est, quod ipsam definitionem Ecclesiæ, juxta Protestantes secundùm entitatem suam ingrediantur. Et sanè definiri per hæc signa Ecclesia non posset, nisi essentialem ad hæc saltèm ordinem diceret.

II. Altera ratio ab ipsa Notarum, sive ut alii vocant, proprietatum primarum definitione sumitur, cum dicantur *qualitates, quæ omni, soli, ac semper competunt.* Et certè, si vel uno horum deficiat, notæ infallibiles esse non poterunt, ita nisi omnis & solus ac semper risibilis homo sit, ejus singularis certaque esse notarisibilitas frustra dicetur. Quæ philosophia adeò recepta est, ut contradicentem habeat neminem. Ipsi Lutherani in Dieterici Institut. Catecheticis de notis Ecclesiæ Catholicæ idem fatentur hac quæstione proposita.

Quæ vero sunt Ecclesiæ hujus Catholicæ & Apostolicæ veræ & infallibiles notæ? Respondentque. *Sunt potissimum duæ.* 1. *Pura verbi Dei Prædicatio.* 2. *Legitima Sacramentorum à Deo institutorum dispensatio*, & mox subjiciunt. *Quare hoc?* Respondentque, *quia hæ ipsæ*, 1. *Veram Ecclesiam certò ostendunt.* 2. *Eidem soli & semper conveniunt.* 3. *Eandem ab aliis quibusvis cœtibus distinguunt.* 4. *Ab eadem denique separari nequeunt.* Quæ deinde ex ratione, sacris Literis, & Patribus, his verbis magis confirmantur.

Ratio,

Ratio, ajunt, *Prima & tertia sumitur ab effectu. Secunda & quarta ab adjuncto proprio. Effectum proprium arguit propriam suam causam. Adjunctum proprium ostendit proprium suum subjectum, Atqui prædicare Evangelium & legitime administrare Sacramentum est effectum proprium Ecclesiæ, & officium proprium Ecclesiæ.* Vide Matth. 28.19.20.Luc.10.16.&c. *Hinc axioma.* Ubi verbum Dei sincerè prædicatur, & Sacramenta legitimè dispensantur, ibi est vera Ecclesia. *Extra Ecclesiam enim non sonat Evangelium, nec dispensantur Sacramenta.* Ecclesia ibi est, ubi vera fides est, *ait Hier.in psal.*133. Ubi fides non est, ibi nec Ecclesia est. *Chrysost.hom.* 6.*in Matth.* Ecclesiæ non jungitur, qui ab Evangelio separatur &c.

III. Ex hoc etiam principio nostras Ecclesiæ notas rejiciunt his verbis: *Errant*, ajunt, *Pontificii, qui Ecclesiæ signa ponunt.* 1. Catholicæ Ecclesiæ nomen. 2. Antiquitatem. 3. Durationem non interruptam. 4. Amplitudinem. 5. Continuam Episcoporum ab Apostolis ad nos successionem. 6. Conspirationem doctrinæ. 7. Unionem membrorum cum Capite (Pontifice) 8. Sanctitatem doctrinæ. 9. Efficaciam doctrinæ. 10. Sanctitatem vitæ Doctorum. 11. Gloriam miraculorum. 12. Lumen Propheticum. 13. Confessionem Adversariorum. 14. Felicitatem Temporalem. Vide Bellarm. l.3. de Eccl. *A quo tamen alii aliter dissentiunt. Ad quæ uno verbo respondemus. Enumerata hæc signa sunt accidentaria omnia, externa, fallibilia, ideoq; 1. Ecclesiæ vera neq; uni, neq; soli, neq; semper, neq; infallibiliter, neq; per se insunt. Neque 2. cum eadem adæquatè reciproca sunt: Neque 3. eandem indubitatè ostendunt: Neq; 4. ab aliis cœtibus distinguunt. Et sic 5. Infallibiles notæ Ecclesiæ esse non possunt. Sed 6 Ecclesiæ etiam malignantium & Hæreticorum &c. Vt plurimum conveniunt &c.* Igitur universè ad bonæ notæ naturam requirunt, ut uni, soli, semper, infallibiter per se est *reciproce* quidem insit Ecclesiæ, hoc est, ut ubicunque & vera Christi Ecclesia, illic pura verbi Dei prædicatio, legitimùsque usus Sacramentorum sit: contraque ubi hæc sunt signa, illic talis sit Ecclesia.

IV. Saxonica Confessio hujus quoque Ecclesiæ signorumque connexionem ex sacris Literis adstruit §. de Eccl. Deus inquit, semper in genere humano cœtum esse voluit, cui tradidit doctrinam de filio, in quo filius ipse instituit & conservavit Ministerium custodiendæ & propagandæ ejus doctrinæ, per quam

&c. efficax fuit, est, & erit &c. cum hæc ipsa doctrina de conservatione Ecclesiæ sæpissime repetita sit in Concionibus divinis, ut Esa. 56. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, nec recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui*, dicit *Dominus, deinceps & in sempiternum*. Et hæc dulcis consolatio, quod non alibi sint hæredes vitæ æternæ, nisi in cœtu vocatorum, juxta illud, *quos elegit, hos & vocavit, &c.* Ad hunc cœtum te adjungito confessione, & invocatione, sicut dicit psal. 26. *Unum petii à Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, & visitem templum ejus.* Non igitur de Ecclesia tanquam de Idea Platonica loquimur, sed Ecclesiam monstramus, quæ conspici & exaudiri potest, juxta illud: *In omnem terram exivit sonus eorum* Vult exaudire filium æternus Pater in toto genere humano, sicut inquit, *Hunc audite*, & psal. 2. *Ego constituo Regem meum in monte Sion, prædicabo præceptum &c.* Nihil dubium est Ecclesiam alligatam esse ad Evangelium, ut Paulus, inquit, *Si quis aliud Evangelium doceat anathema sit.* & Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt*, & Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &c.*

Quas Scripturas nemo sanæ mentis ad scriptum Dei verbum detorquere poterit, cum de *verbo oris*, de *sono verborum*, de *prædicato præcepto* seu *Evangelio*, de *voce & sermone audito* loquantur. Sive scriptum illud, sive non scriptum fuerit. Et sanè si de scripto tantum loquerentur, fallerent promissiones illæ ac sententiæ; quod aliquando verbum scriptum defuerit, ut mirum sit, quomodo Musæo ac nonnullis ex symmistis, tam aliena ab omni humano divinoque sensu in mentem venerint, ut pro nota veræ Ecclesiæ, verbum Dei scriptum constituant.


V. Ceterum, aut nullas veræ Ecclesiæ apud Protestantes notas esse proprias, dicendum est, ideoque frustra Christum nos ad correctionem fratrum jussisse suam adire Ecclesiam: aut hæ certè constituendæ erunt, vel aliæ essentiales designandæ. Quocunque se verterint, alium nisi in assignaris non reperient exitum. Quare & passim has ut tales amplectuntur, ut Joan. Gerard. l. 2. Confess. Cath. c. 4. fol. 1122. & 1125. atque illic inter cetera his verbis confirmat. *Quærimus notas Ecclesiæ proprias & essentiales, quas dicimus puram esse prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem.* Et Lutherus tom. 6. in c. 10. Gen. ait. Ecclesia sine verbi assiduo usu existere non potest. Sic & Osiander in Resp. ad Analys. Greg. Val. f. 208. & 211.

Doctri-

doctrina, ait, *veritas de essentia Ecclesiæ est, id est de pura verbi Dei prædicatione, &c.* & Francus in Resp. ad symb. Luther. Foreri f. 167. *cùm disputatio sit de notis essentialibus.* Nec Calvinistæ dissentire possunt: ut ex suprà traditis Ecclesiæ definitionibus manifestum est. Et Calvinus ipse 4. Inst. c. 1. n. 9. ait. *Vbicunque verbum Dei syncerè prædicari atque audiri, ubi Sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei Ecclesiam nullo modo est ambigendum. Quando ejus promissio fallere non potest:* Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ero. Mat. 18. & num. 10. *Neque enim parvi momenti est, quod vocatur* columna & firmamentum veritatis, & domus Dei. 1. Timoth. 3. *quibus verbis significat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo Ecclesiam esse fidam ejus Custodem: quia ejus ministerio & opera voluit Deus puram verbi sui prædicationem conservari, &c.* De eisdem Wittakerus notis ait: *veram naturam Ecclesiæ continent, & si adsunt Ecclesiam constituunt; & tollunt si auferantur.* Contra Campian. rat. 3. pag. 44. & Fieldus de Eccl lib. 2. c. 2. pag. 40. *Essentiales*, inquit, *sunt, dant esse Ecclesiæ, & ideo naturâ clariores & notiores sunt.*

Hæc autem de universali Ecclesiâ accipienda sunt, conveniunt enim omni Ecclesiæ, non his & illis singularibus, Nam ut particulares Ecclesiæ possunt deficere à vera Fide, ita etiam his notis destitui. At universalis Ecclesia, ut nunquam interit, sed alicubi hanc vigere necesse est, ita hæ etiam notæ perpetuo eidem adhærescunt, *non enim potest abscondi civitas supra montem posita.*

Non ignoto quosdam esse, qui huic se doctrinæ inter Protestantes objiciant, sed mihi magis receptis eorum principiis insistendum erit: quando sperandum non est, ut omnes illi universè consentiant, facilè tamen brevi hoc Contradictores argumento stringam. Aliquæ fidelium Ecclesiæ proprietates concedendæ sunt, verùm aliæ, quæ essentiales sint, eidemque in omni statu Ecclesiæ competant, nequeunt assignari. Ergo, &c. vide quæ hac de re infrà cap. 6. n. 4. & seq. contra Musæum producuntur.



CAPUT IV.

Paſtores & Doctores in Eccleſiâ Catholicâ ſemper fuerunt, qui verbum Dei purè prædicarunt, & legitimè adminiſtrarunt Sacramenta: Mejero fruſtra diſſentiente.

I. MAnifeſta ex dictis, admiſſiſque reſponſio eſt, quam hoc ſyllogiſmo includo. Ubicunque vera fuit, puráque verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio, ibi veros puróſque verbi Dei Doctores, & Paſtores fuiſſe neceſſe eſt, illa neceſſariò ſempérque fuit in Catholica Eccleſia. Ergo & Doctores Paſtoréſque veri. Minor propoſitio jam ante probata & admiſſa eſt. Major ipsâ eſt luce clarior; cùm impliceт, prædicationem veram fieri, ſine vero Prædicante, doctrinam audiri legive ſine Doctore.

Hanc eandem veritatem Magdeburg. Centuriatores Cent. 1. lib. 2. cap. 4. de Eccl. ex diverſis Sacræ Scripturæ locis ſtabiliunt. Dicuntque: *Eccleſia miniſtros à Deo conceſſos, ejusdémque collectionem fieri per miniſterium verbi,* probari Eph. 4. 11. *Alios quidem dedit Apoſtolos,* &c. *alios autem Paſtores ac Doctores ad inſtaurationem Sanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem Corporis Chriſti, donec veniamus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenè adultæ Chriſti, ut non ampliùs ſimus pueri qui fluctuemur, & circumferamur quovis vento doctrinæ, per verſutiam hominum, per aſtutiam, quâ nos adoriuntur, ut imponant nobis, &c.* Idem ego in quæſtione capitali pro fundamento ex S. Literis poſueram.

Hic Mejerus, in *Columna Evangelica verit.* part. 2. c. 1. pag. 5. ſeſe cum pluribus ſuorum his verbis opponit. Apoſtolus, ait, non loquitur de futuro ſed de præterito tempore; quia dicit, quòd Paſtores Chriſtus dederit nempe ſtatim à Reſurrectione ſua, unde non ſequitur, quòd deinceps ad finem mundi uſque daturus ſit. Aliàs ſecum pugnaret Apoſtolus 2. Theſſ. 2. aſſerens, quòd Deus *mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.* Ita eſt, ô Mejere, operationem hujus erroris in te videmus, qui tam manifeſtis Scripturæ S. teſtimoniis adeò protervè audes illudere, & cum tuismet ſymmyſtis Magdeburgicis pugnare. *Dedit* enim verò Chriſtus jam reſurgens Paſtores;

res; sed ut hos pro temporaria ejus seculi dedit Ecclesia, ita ne futuris seculis interciderer, hi tam erant necessarii, quàm ipsum administrationis Ecclesiæ opus fuit. Unde sic arguo: 1. Instauratio, administratio, ædificatio Corporis Christi perpetua erunt, Ergo & instauratores &c. 2. Pastores & Doctores erunt ad ædificationem, *donec* omnes veniamus ad unitatem Fidei; sed ad hanc ante finem seculorum non veniemus, juxta illud Christi Matt. 24. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Quid tibi videtur, Mejere, an prædicatio hæc fieri poterit sine prædicante? Iterum quæro. *Nunquid Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei?* Rom. 10. 17. Nimium te perversum Scripturæ facies interpretem: si vel fidem omnem de Ecclesia, vel auditum à propagatâ fide, vel ab auditu prædicantem sustuleris.

III. Audi quemadmodum tui te Magdeburgici ex Scriptura loc. cit. confundant. De sua, quam Petrus post Christum instituit, Ecclesia ait: 1. Pet. 29. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, populus, qui in lucrum accessit, ut prædicetis virtutes ejus.* Et 1. Pet. 5. v. 19. declarat, quòd per verbum fiat collectio, ideóque *sermoni jubet attendere, donec oriatur lucifer in cordibus nostris.* Et infrà. De verbo per quod fit vocatio Paulus ait, 1. Cor. 1. 21. *Visum est Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*: Si per prædicationem, ergò, ut sint credentes, prædicatores esse necesse est. Pergunt deinde ex diversis Pauli locis idem firmare. 1. Cor. 12. 5. *Divisiones administrationum sunt* (in Ecclesia) *idem autem Dominus*, &c. *unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum*, &c. *alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Quæ confirmantur Rom. 12. v. 3. usque ad 9. Si hæc omnia dantur Ecclesiæ ad manifestandum Dei spiritum, proximique utilitatem, quomodo viri Pastores Doctorésque illi deesse possunt? Denique eidem Centur. De Notis, clariùs adhuc eandem veritatem ex Scriptura demonstrant, dum sic habent: Ecclesiam Christi duraturam in hoc mundo usque ad ejus adventum Apostoli etiam monent. Nam Petrus 1. Epist. 1. 25. dicit, *verbum Domini manere in æternum.* Est autem id seminarium Ecclesiæ, non deerit igitur seminator. Et 1. Ep. 5. 1. &c. hortatur *presbyteros, ut gregem Dei pascant, donec appareat Pastorum princeps, & reddat eis præmia.* Idem 2. Ep. 3. 3.

etsi ostendat, *extremis temporibus fore multos illusores* (attende, Mejere, quomodo cum hæreticis consistant orthodoxi) tamen etiam monet *pios exspectantes adventum Christi futuros*, &c. Paulus verò multis modis asserit durationem Ecclesiæ, quia docet *ministerium verbi exire in omnem orbem terrarum per quod Deus sit efficax ad colligendam sibi Ecclesiam.* Rom.1.16. & 10.18. 2.Cor.2.14.& 10.4.& alibi passim.

Postremò huc facit nota illa Ecclesiæ quarta, de confessione Fidei, ejusque constanti perseverantia, de qua suprà c. 2. n. 10.

IV. Verùm admiratione dignum est, quòd Luthero suo Mejerus prudentior esse voluerit, quem illi ex tom. 7. Lat. Witteb. Anni 1557. p. 150. de Notis Ecclesiæ, hunc eundem Eph. 4. locum nostro sensu sequentem, opposuit. ubi tradit, quod licet Apostoli, Evangelistæ, & Prophetæ esse desierunt, necessarium tamen sit, alios illos in ministerio secutos esse, ac deinde ad finem mundi subsecuturos, quòd Ecclesia hucusque duratura sit.

Opposui & Calvinum Inst, lib.4.c.3.§ 4. *Qui*, inquit, *Ecclesiæ regimini secundùm Christi institutionem præsunt, nominantur à Paulo primùm Apostoli, deinde Prophetæ, tertiò Evangelistæ, quartò Pastores, postremò Doctores, ex quibus duo tantùm ordinarium in Ecclesia munus habent: alios tres initio regni sui Dominus excitavit.* Et paulò inferiùs: *Sequuntur* inquit, *Pastores & Doctores, quibus carere nunquam potest Ecclesia,* &c. *quorum hi Scripturæ interpretationi tantùm præsunt, ut syncera sanaque doctrina inter fideles retineatur.*

Et ne quis dicat, ex solius Scripturæ lectione posse homines privatos, licèt corrupti Doctores Ecclesiæ præsint, fidem tueri, adeóque hunc Apostoli locum de quibuscunque etiam corruptis Pastoribus Doctoribusque posse intelligi, clariùs in suo Comment. super verba Pauli Eph.4.11. sic idem disserit. Regimen, inquit, Ecclesiæ quod verbi ministerio constat, non ab hominibus excitatum, sed à filio Dei positum esse docet Apostolus. Unde eos insanire palàm est, qui prætérito hoc medio, se in Christo perfectos fore sperant, ut Fanatici, qui arcanos spiritus, & revelationes sibi fingunt; superbi qui privatæ Scripturæ lectionem sufficere putant, ut nihil indigeant communi Ecclesiæ ministerio. Paulus apertè testatur, non alio modo secundùm Christi præscriptum, ritè coagmentari nos & perfici, quam per externam prædicationem, dum per homines patimur nos doceri & regi. Hæc universalis est regula, quæ tam

ad

» ad summos, quàm infimos extenditur. Et certè Ecclesia com» munis est piorum omnium Mater, quæ tam Reges, quàm ple» bejos gignit, in Domino nutrit & gubernat, quod fit ministe» rio, Fateor sanè ab Ecclesia petendam esse sanam doctrinam, » quia illi dispensationem commisit Deus. Hæc clarissima Apostoli oratio Calvino sententiam extorsit.

V. At Mejerus instat: sic Paulus 2. Thess. 2. sibi contradicet, dum ait: *Mittet Deus operationem erroris* (in Doctores scilicet) *ut credant mendacio*, nempe auditores. An non legeras ibidem, Mejere, de Apostolorum ætate, *jam operatur mysterium iniquitatis*? Sicut igitur jam tum nonnulli hæresi corrupti & corrumpentes, non tollebant veros ab Ecclesia purosque Doctores, sed illud tantùm implebatur: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt perfecti fiant*: ita nec secuturis Ecclesiæ temporibus hæresum authores, veritatem fidemque evertent, sed magis exacuent, ut hodiedum videmus, quando viri Doctores, falsorum æmulatione magis florent & cumulantur, ut tot libris intra seculum proximum à Catholicis Doctoribus, enucleatè S. Literas pertractantibus, restarissimum est. Imò ad hæreticos in *operatione erroris* coërcendos potissimùm Doctores Pastoresque promittuntur. *Dedit* inquit Paulus Eph. 4. *Doctores, ne circumferamur quovis vento doctrinæ, per astutiam qua nos adoriuntur.* Cùm lupi & fures augentur, Pastores ovium multiplicantur & vigilantiores sunt. Premere Ecclesiam hæretici breviculo possunt tempore, dum boni Pastores accurrant, contraque prædicatione & doctrinâ armentur; at præ his illi invalescere, annorum aliquot, multò minùs seculi alicujus spatio nunquam poterunt, nisi Paulus nos fefellit, & aliquando desint qui caveant, ne circumferamur, Christusque Pastor bonus ovile suum prorsus lupis committat.

Hactenus de loco Pauli Eph. 4. ubi denique Mejerum aliósque consentientes tam absurdæ interpretationi sciscitari lubet. Qua hæc fronte à vulgato obvióque sensu ad suam libidinem detorqueant, & ex qua Scriptura interprete ac judice hunc nobis sensum proprium, velut unicum ac necessarium definiant? Id cùm nequeant, violatæ illos autoritatis divinæ jure reos arcesso.

VI. Aliis deinde Scripturis S. non minùs solidè evinceram, semper veros purosque in Ecclesia Catholica Doctores Pastoresque repertos esse. Ut 1. clarissima Pauli ex Rom. 10. v. 14. sententia. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo*

autem audient, sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? &c. *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Hic locus illustrior fuit, quàm ut auderet, aut posset convellere. Nam 1. si tot rudes indoctique homines, credere non possint, nisi instructi à prædicante, semper autem alii aliique in mundum nati Christo renasci debeant, semper inter hos rectè verbum Dei prædicari necessè est. 2. Si rectè non prædicent, nisi mittantur, eique qui non missi veniunt nobis vitandi sint, ne errorem pro veritate tradant, sequitur Doctores à Deo missos, hoc est orthodoxos nunquam defuturos. 3. Si fides ex auditu; quamdiu fideles, tamdiu Pastores erunt. Auditor enim fidei esse non poterit, nisi sit prædicator. Non erroneus, quia hic fidem non tradet, sed hæresin. Ergo orthodoxus. sed de argumento hoc infrà pluribus.

VII. Iterum ex disertissimis V. T. promissionibus de Christi Ecclesia veritatem hanc stabilivi ut Isa. 59. v. 20. *Cùm venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis, dicit Dominus, amodo, & usque in sempiternum.* Hic, noster interpres Mejerus, inquit, bene esse „notandum, quòd spiritus Dei cum verbis jungatur, quia si „Ecclesia à verbo Dei non recesserit, mansurum cum ea spiri-„tum. Nam sicut in fœdere quolibet si altera pars fidem non „servet, altera non obligatur, & ut singula Ecclesiæ membra fi-„de & obedientiâ neglecta promissis à Deo præstitis excidunt, „ita & universa Ecclesia. Quod Joann. 8. manifestè Christus de-„clarat, *Si vos manseritis in sermone, verè discipuli mei eritis.* & „Joann. 16. *sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in* „*vite, ita nec vos nisi in me manseritis.*

Verùm aliter Deus cum singulis, aliter cum universa Ecclesia pacisci potuit. Et si potuit, verbisque absolutè promittentibus fidem obstrinxit, quâ hæc audaciâ Mejerus evertit? Aliunde constat, nec Protestantes inficiantur, perpetuam Ecclesiæ fidem fore, cujus certitudo si ex simili conditione suspendi possit, quia alicubi conditionata Dei promissa sunt, jam nihil Deo absolutè promittenti erit fidendum. Neque quisquam ampliùs certò statuere poterit, an ulla Christi Ecclesia orthodoxæ fidei in orbe supersit, quod illius certitudo ab humana inconstantia suspensa sit. Hoc igitur ut nemo de Ecclesiæ Fide dicturus est; ita certi sumus quidquid hac fide promissorum nititur,

titur, etiam ſub conditione addita æternum fore, quia fides æterna erit. Verùm ut ut tandem hæc res habeat, quemadmodum nefas eſt conditionales *Si* illud S. adimere Literis ubi appoſitum eſt, ita & apponere ubi eſt ademptum. At, inquit, Mejerus integras particulares Eccleſias defeciſſe vidimus. Non abnuo, particulari enim hæc promiſſa Eccleſię facta negamus, & quidquid hic demùm, etiam de Catholicis nonnulli ſomnient, verba Scripturæ clariora ſunt, quàm ut privato tantùm ſenſu poſſint, aut debeant intorqueri. Diſcat illorum ſententiam Mejerus ex ſua Confeſſione Saxonica ſuprà c. 3. n. 4. diſcat ex Melanchthone in locis com. de Notis Eccleſiæ: quòd ex hoc loco perpetua & incorrupta Fidei doctrina adſtruatur. Diſcat etiam ſi lubet ex Calvino ſic in hunc locum commentante. Deum *ſic ejus* (Eccleſiæ) *curam habiturum, ut eam nunquam privari doctrina ſinat.*

VIII. Concluſi denique ex Iſa. 6. v. 11. de eadem Eccleſia ſic loquente: *Et aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Quem locum ſic Lutherus exponit: Reges obedient & credent Evangelio; Eccleſia perpetuò aliquos ad fidem convertet, *&c.* hoc enim ſignificatur per portas apertas. Quæro igitur cum Paulo Rom. 10. *Quomodo audient ſine prædicante?* De his idem Iſaias c. 62. v. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes tota die ac nocte, in perpetuum non tacebunt.* Quid ad hæc Mejerus noſter? Iſta jam olim ſub Apoſtolis impleta eſſe judicat, quando per illos Evangelium gentibus prædicatum eſt, & Jeruſalem in cœlis terriſque, hoc eſt Eccleſia, ex utriuſque partis civibus Chriſto inſtituta. Perverſe interpres! S. Scriptura, ait, *jugiter* aperientur portæ, & tu ſolis Apoſtolorum temporibus aperiendas cenſes? Scriptura inquit, *gens quæ non ſervit, peribit,* & hoc tu ſoli genti ſub Apoſtolis natæ adſtringis? Scriptura dicit, cuſtodes *in perpetuum* non tacebunt, & tu ſub Apoſtolis eos tantùm dicis locutos. Debuiſſet illa te Chriſti in Evangelio Matt. 24. in hac perverſitate ſententia perſtringere *Prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe, & tunc veniet conſummatio*; ut ſcires uſque ad ſeculorum conſummationem hoc Evangelium prædicandum. Tuus ſaltèm Lutherus ad ſaniora te inſtruere poterat, qui tom. 7. de Notis Eccleſ. fol. 151. inquit. *Eccleſia non poteſt eſſe ſine Paſtoribus.* Et Melanchthon in c. 3. Matt. fol. 158. *Deus vult ſemper eſſe aliquod miniſterium*

rium publicum ; non finit ministerium deleri. Et Calvinus in Comment. 1. ad Tim. 3. *Ecclesia*, ait *columna veritatis prædicatur, quia doctrinæ administrandæ munus, quod Deus penes eam deposuit, unicum est instrumentum retinendæ veritatis, &c.* Quod aliis verbis tradit, 1 c. *ad Rom. c. Quoniam fides ex auditu, nullam fore, nisi sit prædicatio. Itaque sustinet Ecclesia veritatem; quia eam præconio suo celebrat; quia puram & sinceram retinet; quia transmittit ad posteros. Quod si non resonet Evangelii doctrina, si nulli sint pii ministri, qui suâ prædicatione veritatem à tenebris & oblivione vendicent, statim mendacia, errores, imposturæ, superstitiones, omneque genus corruptelæ regnum vendicabunt.* Quocirca hæc veritas de orthodoxis Ecclesiæ Pastoribus Doctoribusque semper in Ecclesia futuris audiendisque, adeò irrefragabilis, non solùm ex S. Literis, sed ipsis etiam Acatholicorum scriptis principiisque est, ut nemo prudens, salvâ ratione ac conscientiâ, possit obluctari.

CAPUT V.

In Romano-Catholica potiùs, quàm Protestantium Ecclesiâ tales Pastores Doctorésque puræ doctrinæ semper reperti sunt.

I. POssem ego geminæ huic veritati, quæ de Ecclesiæ natura ac proprietatibus, tum de perpetuis in eadem orthodoxis Pastoribus Doctoribusque manifestè eminet, tanquam geminis Herculis columnis inscribere: *non plùs ultrà.* Quòd Ecclesia Romano Catholica tantò his signis præ Ecclesiis Protestantium illustrior sit, quantò Sol est Lunâ præstantior. Quodque hâc veritate perseverantis in Ecclesia veræ doctrinæ suppositâ, malè Lutherus & Calvinus illam reformare aggressi sint. Nam si necessaria fidei doctrina (de ceteris enim adiaphoris quæstio non est.) semper à Doctoribus est tradita, non reformari hæc, sed propagari tantùm in Ecclesia debebat, & hæretici deformatores habendi sunt, quotquot illam oppugnare cœperunt. Quocircà, ut à tam infelici conatu miseros cæcosque avertamus, prætensis eorum causis breviter excussis, *plus ultrà* eosdem prosequemur. Non tam ut jam abundè profligatos vincamus, quàm ut confusissimam illorum fugam, qui pacem concordiamque nobiscum declinant, injectis vinculis retar-

retardemus, & in obsequium veræ Ecclesiæ captivos abstrahamus.

II. Alterutrū fatendum, vel quod veri Doctores Pastoresque in Ecclesia proximis ante Lutherum seculis fuerint, vel quod defuerint. Hic seipsos miseri contrariis responsionibus jugulant, suamque falsitatem vel inviti produnt; nostram veritatem tuentur. Alii enim illorum, ut jam audivimus, tales semper fuisse in Ecclesia agnoscunt; sed præterea alios heterodoxos, & potiori quidem numero, invaluisse asserunt, ita ut rari, contempti, & obscuri orthodoxi Doctores, penè sub modio latuerint. Alij negant orthodoxos ullos Doctores Pastoresque, qui per omnes necessarios fidei articulos rectè senserint docuerintque relictos esse. Et hi quidem in duas dissentientiū classes divisi sunt. Nonnulli enim dicunt, omnes proximis ante Lutherum seculis Doctores publicos, de quibus constet, in quibusdam substantialibus fidei articulis defecisse: nonnulli tantum in accidentalibus errasse, & lignum fœnum, ac stipulas, ut cum Paulo loquuntur, super fundamentum ædificasse. Postremò alij (& plerique quidem, prout argumentis diversis stringuntur) tam sunt inconstantes, ut secum ipsi pugnent, & quos modo admisêre in Ecclesia puros Doctores, mox rursum negent, ut nescias, an ii an alibi fiat hypolypi, qui colorem ex re quavis apprehensa imitantur. Horum referre sententias & longum sit, & penè otiosum. Coccius in Thesauro l. 8. de signis Eccl. plures horum adumbravit. Brerlejus in Apolog. Protest. tr. 2. c. 2. & 3. illos variè sibi oppositos in medium producit. Qui quamvis suismet responsis, quibus se mutuò tanquam Cadmei fratres conficiunt, abundè jugulentur, nos tamen suos his fugacibus exitus paucis præcludemus.

III. Pro qua re breviter ac facilè conficienda, quædam prænotanda sunt. I. Non loqui nos de particulari aliqua Ecclesia, ut talis est; sed de universali, quod ab omnibus receptum sit particulares Ecclesias posse deficere, non verò universalem, quæ plures particulares cōplectitur, prout in una fidei confessione, quæ omnium fuit temporum ab Apostolis usque decurrentium, diversorumque locorum, conveniunt. Quare & nos quando de Romana Ecclesia in hoc argumento loquemur, non de illa solum, ut Romani est agri, sed ut ab Apostolis fundata, omne retro seculum complectitur, totoque orbe secum sua in fide communicantes Ecclesias hodiedum involvit, prout de illa dictum ab Apostolo *vestra fides annuntiatur in universo*

mundo Rom. 1. 8. quod ut olim, ita etiamnum obtinet. Sub qua formalitate generalis fidei, ſupra monui particulares Eccleſias ſpectandas eſſe, cum jubemur adire & audire Eccleſiam, quamdiu enim in illa communione perſiſtunt, non poſſunt deficere: ut nec Proteſtantes ipſi iuficiantur. Quæ diligenter obſervanda ſunt; quia adverſarii plerumque, ut vim argumenti declinent, Paſtoresque & Doctores oſtendant deficere ad particulares Eccleſias, à communione hac ſeparatas, fallaci declinatione tranſfugiunt, oppugnantque, quod extra controverſiam eſt collocatum.

Notandum 2. Cum Doctorum ſit in ſcholis, publicisque ſcriptis docere, Paſtorum verbo & ſacramentis populum ſibi creditum paſcere: deque huiuſmodi Doctoribus ex eorum libris per quævis ſecula: de Epiſcopis ſeu Paſtoribus, per hiſtorias conciliaque in Eccleſia habita conſtet; facilè nobis hoc tempore judicium relinquitur, an in receptis neceſſariisq; fidei articulis (nam de ceteris quæſtio non eſt, cum ſua cuivis fuerit ſentiendi, ſalvâ fide, libertas) nobiſcum ſentiant, & nos cum illis? Et diſertè Proteſtantes fatentur, per nongentos, aut amplius, annos, tales in doctrina fidei & Sacramentorū uſu aberraſſe, ideoque ſe antecedentis illius Eccleſiæ Reformatores dicunt, venditantque ſe veterem Apoſtolicam Eccleſiam doctrinamque corruptam ex S. Scriptura, purè integrèque traditâ, reſtituiſſe, neque in ſolis tantum reformaſſe ceremoniis, ſuperſtitione omni abrogata; ſed in præcipuis etiam fidei neceſſariæ articulis, qualis ille eſt de fide juſtificante. Ex quo illorum fundamento manifeſtum eſt, quod Proteſtantes ſuæ Eccleſiæ veros Paſtores Doctoresque per multa ſecula defuiſſe concedant. Alterutrum enim concedendum eſt: aut erraſſe ante ſe in rebus fidei neceſſariis universè Eccleſiam, aut ſe illam perversè ac ſacrilegè in ijſdem immutaſſe, quod ultimum cum nemo dicat, prius omnes cogentur admittere. Quanquam; ut ſupra monui, mirâ ſibi inconſtantia ſæpè contradicant, ut paulò poſt ex eorum verbis patebit.

IV. Quocirca totam cauſam hanc breviſſimâ certiſſimaq; argumentatione pro Catholicis adverſus Proteſtantes conficio.

Qui fatentur in Catholica Chriſti Eccleſia, ſemper veros fuiſſe ac fore Paſtores Doctoresq; ad hoc neceſſarios, ut docerent, miniſteriumque obirent, ac ſacramenta adminiſtrarent; ſimulque agnoſcunt, per multa ſecula tales in ſua Eccleſia non fuiſſe,

fuisse, hi fatentur se non habere Catholicam Christi Ecclesiam. Sed prius fatentur & agnoscunt Protestantes: Ergo & posterius. Majoris propositionis membrum primum ex superioribus capitibus sumptum est, alterum ex notissimo per omnes Confessiones illorum fundamento, ut ante observavi. Minor certa. Tota igitur demonstratio inconcussa est.

Iterum sic ex S. literis invictissimè probo. Deus *quos elegit, hos & vocavit.* Rom. 8. At omni tempore suos in Ecclesia Deus elegit, ergo & vocavit. Subsumo: *vocatio & Fides ex auditu, nec audierunt sine prædicante* Rom. 10. Ergo semper fuerunt veræ fidei prædicantes, At tales in Protestantium Ecclesia olim non reperiuntur, sunt autem in Romano-Catholica. Ergo &c. Hoc argumentum illa veritate, ab omnibus recepta, nititur, quod semper ab Apostolis electorum multitudo successivè inter Christianos fuerit. Unde iuxta Apostolum necessariò sequitur, quod semper etiam fuerit multitudo ad fidem orthodoxam vocatorum, & consequenter orthodoxè, sine ullius hæreseos admistione, prædicantium. Nam lupi non solent oves procreare, nec fures sui Christus ovilis custodes fecit. Et hoc solo argumento è S. Literis profligantur omnes Romano Catholicis contradicentes, sive Doctores Pastoresque fuisse asserant, & obscuros delituisse; sive omninò negent extitisse: aut (quod tantundem est) hæreses simul cum veritate docuisse. Nam in fide illud receptissimum est, *qui offendit in uno, omnium reus est.* Jac 2. Qui igitur hæreticos Doctores admittunt, nullos admittunt: ut infra certius intelligemus.

Deinde juxta illud Isa. 6. v. 11. *aperientur portæ jugiter &c.* à Christo Luc. 24. v. 14. expositum & confirmatū, *prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio,* manifestum est, orthodoxam fidem Evangelij, & prædicatam esse hactenus ab exordio Ecclesiæ gentibus, ac porrò usque ad finem seculorum prædicandam. Frivolumque omninò est quod Mejerus p. 77. ex Col. 1. v. 6. oggerit: hoc tempore Pauli factum esse, qui *Evangelium* jam tum, ait, *fructificare in universo mundo,* quasi verò sub Paulo omnes sigillatim gentes, aut Evangeliū accepissent, aut fuissent natæ; ipse scilicet Mejerus cum suis proavis jam tum aderat, jamq; etiam *mundi consummatio* imminebat. Qui sic respondet, desperat. Consulat D. August. Epist. 80. qui aliter has scripturas interpretatus, negavit sub Apostolis hoc impletum esse. *Adhuc,* inquit, *habet quo crescat, donec fiat quod de Christo*

Chriſto in Salomonis figura prophetatum eſt: dominabitur à mari uſque ad mare &c. Unde rurſum infallibile hoc argumentum conficitur. Illa eſt orthodoxa Chriſti Eccleſia, quæ ſeculis omnibus Evangelium Chriſti gentibus prædicavit. Hoc fecit Romano Catholica non autem Lutherana, Calviniana, Anabaptiſtica. Ergo &c.

Tertiò orthodoxa Eccleſia ſemper in contentionibus fidelium patere debuit ad ſe recurrentibus, ut Chriſto monenti quivis Chriſtianus obſequeretur: *Si habes aliquid adverſus fratrem, dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.* Talis Eccleſia, quæ litigantes dirimeret, apud Lutheranos, Calviniſtas, aliosque Sectarios, hactenus ante Lutherum non patuit fidelibus, apud Romano-Catholicos ſemper patuit. Ergo apud hos non illos, vera orthodoxaque Eccleſia eſt.

Quartò ipſis gentibus perpetuò orthodoxa debuit patere, & conſpicua eſſe in ſuis Doctoribus ac fidelibus Eccleſia, juxta vaticinium Iſaiæ, c.61. quod Chriſtus ad ſe ſuamque Eccleſiam in Nazarethica Concione Luc. 4.18. applicat. *Miſit me, ut prædicarem captivis indulgentiam &c, Vos autem Sacerdotes Domini vocabimimini, miniſtri Dei noſtri. Dicetur vobis fortitudinem gentium comedetis &c. Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feram eis, & ſcient in gentibus ſemen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoſcent eos: quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus* &c. De hac eadem Eccleſia Michæas c. 4. *In noviſſimo dierum erit mons, domus Domini præparatus in vertice montium, & fluent ad eum omnes populi &c.* De qua & Chriſtus in Evang. Matth. 5. *non poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita.* Jam ſubſumo. At talis Eccleſia gentibus ſemper & ubique patens, non fuit Eccleſia Proteſtantium, fuit autem Romano-Catholicorum. Ergo hæc fuit orthodoxa Chriſti Eccleſia.

Quintò fideles omnes & Sancti electique Dei tenebantur in perſecutione, tot præſertim ſeculorum vitare hæreticos & fidem ſuam, cum vitæ etiam diſcrimine profiteri. Nam ut Chriſtus dicit. Joan. 10. *Oves meæ alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo,* & Marc. 8. *qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram patre meo.* Et Paulus 1 Cor. 14.39. *qui ignorat, ignorabitur.* Hinc ſic arguo; verè fideles, electi ac Sancti Dei, heterodoxam ante Lutherum per mille annos doctrinam fugerunt, orthodoxam verò fidem ex obligatione profeſſi ſunt. Sed nulli ante Lutherum per mille annos Proteſtan-

tium

tium fidem professi sunt, imò fugerunt & detestati sunt, si quis vel laciniam, aut articulum unum recentis hujus fidei produxisset; contrà Romano-Catholicam religionem passim sunt professi. Hæc igitur orthodoxa, illa heterodoxa est existimanda. At, inquit Meier. p.84. satis erat clancularios fideles *paratos esse dare rationem de sua fide poscentibus* 1 Pet. 3. Præclarè! Id verò Catholicos fecisse constat, intereaque latibularios vestros, quos nemo unquam vidit, de quorum promptitudine tu hariolaris, altum conticuisse. Deinde quis te docuit, Pastoribus non loquendum nisi rogentur? tacendum omnibus, cum religio pietasque conculcatur? Ita loqui insanire est.

V. Hæc universè, ut Romano-Catholicam religionem stabiliunt, quæ perpetua successione Doctorum doctrinæq́, Episcopis Pastoribusque, diversis semper locis, cum Romana & Apostolica sede consentientibus, præ omnibus Sectariorum ac schismaticorum Ecclesiis hucusque est florentissima; ita tam illustris Christi promissio: *super hanc petram fundabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt*, nulli propius veriusque potest convenire. Et adeo quidem manifestè, ut cum sola hæc scripturarum elogia non nisi Catholicæ Ecclesiæ competant, & orthodoxa esse alia non possit Ecclesia, quam quæ Catholica omnium consensione dicitur, hunc titulum Romanæ Ecclesiæ sapientissimi quique & æquissimi Protestantium ultro largiantur; simulque (cum præter unam catholicam omnes Christiani aliam non agnoscant) suis congregationibus hoc veritatis encomium non concedant. Quod aliud nihil est, quam apertè confiteri, solam Romano-Catholicam Ecclesiam inter ceteras orthodoxam esse. Et sanè mirabili Dei providentia factum, quod hoc illi nomen à nulla unquam hæresi, quantumvis invalesceret, potuerit extorqueri, cum omnium semper temporum locorumq; hæc una permanserit, toto orbe, omnibusque seculis constanter suæ professionis nomen propagans, ut videlicet hac ipsa voce rudis populus ad ubique eminentis Ecclesiæ æstimationem converteretur. Quod jam olim D. Augustinus animadvertit Tom. 1. de vera relig. c.7. *Tenenda*, inquit, *est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est & Catholica nominatur, non solùm à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintq́ ipsi quoq; hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo*

ab

ab universo orbe nuncupatur. Nimirum hoc etiam in in vulgus argumento Apostolicam soli Romani sequi doctrinam probantur; quod Apostolicæ fidei esse non possit, nisi qui Catholicæ est, necesse esse in Christi Corpore, qui ab hac separatur. *Vna* inquit idem D. August. tom. 7. de unit. Eccl. contra Petil. Ep. c. 2. *est, quam majores nostri Catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est &c. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit Coloss. 1. pro corpore eius, quod est, Ecclesia. Vnde utique manifestum est, eum, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse.*

IV. Postremò plerique Protestantes hanc Ecclesiam Romano-Catholicam, vel inviti, orthodoxam esse fatentur. 1. Quia agnoscunt Christi Evangelium ante Lutherum in Romano-Catholica Ecclesia prædicatum scripturasq; S. utriusque Test. Symbolum Apostolicum, & primorum quatuor œcumenicorum conciliorum symbola recepta, sacramenta administrata: idque ea lege & ratione factum, ut Majores juxta hæc fundamentalia salutem sint assecuti, neque in ullo necessario ad veram fidem articulo universè defecerint, licet in non necessariis ad salutem aberrarint. Hoc autem fateri, est orthodoxam apud illos fidem Doctrinamque relinquere; cum ceteri accidentales errores hanc minimè evertant. Et certè nisi hæc dicant, coguntur Majores suos per mille annos ante Lutherum damnare, & rem statuere absurdissimam, quod Christus Ecclesiam tanto nomine, pretio, apparatuque exercitarit splendidissimis ab illo promissis ornatam, quæ pluribus sub modio seculis ignorata latuerit, quàm floruerit spectata, quorum utrumque non tantum S. Literis, sed ipsimet humanæ rationi adversatur.

2. Quia fatentur Romano-Catholicam Ecclesiam bona fide sartam tectamque divinam scripturam, tamquam thesaurum Christianæ veritatis, per quam Antichristi regnum oppugnari & everti possit, asservasse, quod utique fieri non potuisset, si per mille annos supremum huius Ecclesiæ dominatum Antichristus in sede Apostolica & Templo Dei occupasset. Nam ut ille hoc Dei verbum, per quod maximè evertendum se non ignotaret, servarit tot seculis, tantâ inpotentiâ licentiâque, quâ publicè orthodoxi Doctores hiscere non auderent, intactum, hoc nemo prudens persuaderi sibi patiatur.

3. Lutherus aliique Sectarii hanc ipsam Romanæ Ecclesiæ in necessariis fidei integritatem profitentur. Ille sic habet in Epist. ad Anabapt. tom. 1. Jen. p. 320. *Nos fatemur sub Papatu multum,*

multum, imo omne bonum Christianum esse, & inde ad nos devenisse. Fatemur esse in Papatu veram Scripturam, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras claves in remissionem peccatorum, verum prædicandi Officium, verum Catechismum &c. Plus dico, esse in Papatu veram Christianitatem, imò ipsum nucleum Christianitatis. Idem repetit in locis com. classe 1, p. 124. & cl. 5. p. 109. Ita ferè & Osiander loquitur in Epitome. Cent. 16. p. 1073. *Ecclesia quæ sub Papatu fuit, eo tempore quo Lutherus natus est, fuit Ecclesia Christi, habuit enim ministerium Evangelii, S. Biblia, Baptismum, Cœnam Domini, licet aliquot abusibus, erroribus, & humanis traditionibus obruta & obscurata: ideoque qui sub Papatu ad ministerium Ecclesiasticum fuerunt ordinati (ut Lutherus & alii multi Evangelici Doctores) revera habuerunt legitimam vocationm, ad prædicandum Evangelium Christi, & Saramentorum administrationem.* Et Theolog. Wittenbergenses in Colloq. Badensi apud Osiand. in Epit. Cent. 16. p. 1064. ita scribunt. *Ecclesiam inde ab ascensione usque ad hæc tempora nunquam interruptam, sed perpetua successione in terris permansisse firmiter credimus.* At hæc successio sine secessione, nisi in Romano-Catholica non reperitur. Joannes Rhegius in Apologetico, sub tit. consideratio Censuræ p. 93. ait. *Etsi verum est Pontificiorum ministerium fuisse corruptum multis traditionibus, & adinventionibus hominum, habuit tamen ea, quæ ad salutem necessaria fuere. &c.* Covvellus in defens. Hookeri p. 68. *Romanenses de familia Iesu Christi esse libenter agnoscimus, dum autem nosmet reformamus, non nos ab Ecclesia (uti sperandum est) segregamus, in qua ante fuimus. In Ecclesia fuimus, & in eadem manemus, quemadmodum & Romanenses.* Somus in Defens. contra Pemy c. 23. p. 182. *Iudicio omnium eruditorum, & omnium Ecclesiarum reformatarum, in Papatu vera Ecclesia est.* Vide plura horum testimonia, apud Brerleium in Apol. Prot. Tract. 2. c. 2. p. 425. & c. 3. p. 598.

VII. Ex quibus universè concludo, quod cùm nobis ad securitatem fidei salutisque satis esse possit in illa stare Ecclesiâ, quæ & nobis sentientibus, & adversariis consentientibus, omnia ad salutem necessaria complectitur, qualem nullam aliam ab Apostolis ad nos usque deductam reperimus, teneri nos ex conscientia in eadem persistere, & quotquot ab ea sectas congregationesq; separatas instituunt, devitare. Quandoquidem hoc agimus, in supremo salutis negotio, quod tutius est, neque

ab ipſis poteſt adverſariis damnari. Stultum enim ſit, per controverſias de non neceſſariis(ut ipſi loquuntur) ad ſalutem rebus, à neceſſariis deflectere, & cum de vera fide, Eccleſiaque quærimus. de fide ac ſalute periclitari. Nos una conſenſione omnes ita ſegreges damnamus, atque in tam ſecura religionis arce ſubſiſtimus, in qua neque ex conſcientia noſtra, neque ex ſententia adverſantium jure damnamur. Accedant quotquot Concordiæ ſalutisq; communis amantes ſunt, & hanc nobiſcum ſecuritatem amplectantur. Quid enim tanto nationum diſſidio, aliam aliamque ſalutis arcem inquirimus, quando una tantum eſt, quæ omnium conſenſione tutiſſima eſſe proclamatur.

CAPUT VI.

Paſtores Doctoresque orthodoxi inviſibiles, ac fallibiles universè eſſe non potuerunt, & pro eis heterodoxi veram fidem propagare, ut contra Muſæum Theol. Ienenſem ſtabilitur.

I. POſtquam ex ſacris Litteris, ratione, & ipſorummet adverſariorum principiis & confeſſione abundè conſtat, Paſtores Doctoresque, qui purè Evangelium prædicarent, & legitimè Sacramenta adminiſtrarent ſemper in Eccleſia Chriſti extitiſſe: ſimul evicimus. ſemper in his viſibilem fuiſſe Chriſti Eccleſiam, neque hos unquam Doctores Paſtoresque univerſè in aliquo ad ſalutem neceſſario fidei articulo aberraſſe. Fieri enim non potuit, ut ſemper eſſent, qui purè Evangelium prædicarent, & legitimè adminiſtrarent Sacramenta, & non viderentur, aut aberrarent.

Hic lethalis ultimuſque ictus eſt, quo Proteſtantium Eccleſiæ ſpes omnis defenſionis, & prætenſæ ex ſcriptura veritatis decollatur. Quare hic vertumni illi, quibus perire in errore potiùs, quàm cedere decretum eſt, omnem formam induunt, ut elabantur.

II. Sunt qui eo uſq; deſperatè pugnent, ut cum Doctores Paſtoresq; tales cogantur admittere, hos aſſerant mille annis, in Eccleſia, nec viſos nec auditos eſſe, Id eſt fuiſſe Doctores ſine doctione, Paſtores ſine paſtione orthodoxa. Miniſtros Eccleſiæ ſine ullo puro legitimoque miniſterio. Quod cum tantundem ſit, ac ſi dicant, fuiſſe & non fuiſſe, quod ipſa formalis ratio,

ratio, quâ quis ipsa Doctor, Pastor, Ministerque efficitur, sic doctio, pastio, ac ministratio: hinc manifestè sibi contradicunt, neque ab homine prudente merentur audiri. Et verò contra eosdem universa superiorum capitum argumenta & Scripturæ S. intorquentur. Nam & datæ Ecclesiæ definitiones ministerium hoc exigunt, notæ essentiales requirunt, & S. Literæ, quæ fidem ex auditu ac prædicatione verbi necessariò propagari ostêdunt, tantam absurditatem flagellant. Si veri Pastores superfuere, non debuerunt esse *Canes muti, non valentes latrare* Isa 56 v. 11. cum *in opus ministerii* destinati fuerint, *ad ædificationem Corporis Christi* Eph. 4.

III. At, inquiunt, cum vera fides, quæ intrinsecam rationem Ecclesiæ constituit, occultè in animo foveri, sine externa professione queat, potuit sine hac etiam vera durare Christi Ecclesia. Hæc autem illa est Ecclesia toto orbe fusa, ideoque Catholica & Apostolica, quam credimus in symbolo; ac profitemur dicendo, *Credo unam sanctam Ecclesiam, Catholicam* &c. Hæc est Christi Sponsa, pura, & immaculata. Quæ externæ nequaquam competunt. Quam enim videmus Ecclesiam, hanc non credimus, hæc ne una, nec Catholica, nec pura est Sponsa Christi, cum in multis dissentiat, non semper, & omni loco sit eadem, multis erroribus vitiisque obnoxia scateat. Ita à visibili Ecclesia ad invisibilem sese adversarii recipiunt, ut tanquam sub Gygis annulo se suosque errores abscondant.

Verùm non satis occultantur. Nam hi jam manifestè recidunt in damnatam olim ab Augustanâ Confessione iteratâ, & Apologia ejusdem sententiam, & solam in symbolo Apostolico nobis invisibilem Electorum proponi Ecclesiam fatentur, ideoque visibilem Ecclesiam vocatorum in symbolo & fide non includunt. Rursum tamen coguntur eidem ex S. Literis tot supra locis recitatis, vocatorum agnoscere & credere Ecclesiam: nisi scripturam, & suas ipsasmet Confessiones negare voluerint. Duas igitur Ecclesias Christi, electorum unam, alteram vocatorum esse credent, quod erit novum condere fidei symbolum.

Denique ipsam electorum non possunt credere Ecclesiam, nisi credant & vocatorum, *quos* enim *elegit*, *hos & vocavit* Rom. 8. Electio igitur, ordinante Deo, pendet ex vocatione. Ut per aliquot secula electos in Ecclesia Christi sine vocatione constituere, non tantum sit humanam rationem, sed divinam

 etiam

etiam ordinationem evertere. Quare contra hos latibularios Christianos non ſolum omnia ſuperius allata argumenta pugnant; ſed inſignis præterea amentiæ arguuntur, qui Eccleſiam ſibi innoteſcere, ſine certis ejuſmodi notis profitentur. Rationes quas afferunt pueriles ſunt. Sit occulta fides, an propterea occultis etiam mediis propagatur, cùm Deus niſi externa non inſtituerit? Sint electi in Eccleſia, an igitur per electionem Dei inſtituitur Eccleſia, quæ vi etymi, & naturæ eſt, convocatio ſeu congregatio viſibilis fidelium, qualis per omnes etiam Confeſſiones Proteſtantium definitur? Et ſi neges, nos credere poſſe, quod videmus; negas Apoſtolos potuiſſe credere eſſe Chriſtum, aut reſurrectionem, nos etiam Sacramenta quæ videmus. Alia quidem eſt ratio credendi, alia videndi: illic autoritate moveor Dei revelantis, hic colore illuſtrato: alia etiam quæ video in Eccleſia ſunt, alia quæ credo; video hanc congregationem Chriſti fidem profitentium, credo verè fideles perſeverantesque ex eis ſalvari. Neque inviſibilem hanc malè Chriſti Sponſam, ſanctam puramque dici ſentio, licet improbos hypocritaſque involvat, quod per hanc rationem à profanis congregationibus, quæ nihil ſancti, neque in donis, neque in hominibus poſſident, jure diſtinguatur; & à potiori ſumpta denominatio conveniat; ut homo licet corpore bruto conſtet, rectè rationalis ab anima nuncupatur.

IV. Quare cum vanas has futileſque ideas eſſe plerique videant, ad viſibiles rurſum Paſtores Doctoreſque ſe convertunt, & tales, ſuâ etiam in Eccleſia electorum habuiſſe Proteſtantes fatentur. Ex quibus tamen ſi ulterius ſciſciteris: fuerintne orthodoxi illi, qui purè verbum Dei traderent, & legitimè Sacramenta adminiſtrarent? Sunt qui negent, & rurſum qui aſſerant; quidam etiam utroſque conjungunt; & aliquando orthodoxos, aliquando heterodoxos hæc externa miniſteria obiiſſe contendunt. Qui negant, tenentur concedere quod heterodoxi Doctores, orthodoxam in Eccleſia fidem, per corruptam doctrinam propagarint. Hanc ſententiam Joannes Muſæus Theologus Jenenſis in Tract. de Eccleſia propugnat, quem P. Vitus Erbermannus Theologus Herbip. Soc. Jeſu, in ſuis Parellelis Eccleſiæ veræ ac falſæ egregia diſſertatione confutavit. Qui aſſerunt, & Doctores ejuſmodi, ex tota retro antiquitate eruderare tenentur; & ſiquidem hoc fecerint, infallibitatem Eccleſiæ, ut quæ errare ſuis in Doctoribus Paſtoribuſque universè non potuerit, nobiſcum tueri. Illos nunc oppugno, de his, &

amphibiis illis animalibus, qui nunc piscis, nunc caro sunt, in quibus noster Mejerus est, acturus postea. Quanquam contradictores illi, vel mutuò, vel sibimetipsis dentes elidant. Ut hoc solo argumento prostrati omnes jaceant. Qui in fundamentalibus rerum credendarum articulis sibi contrariantur, veritatem orthodoxam tueri non possunt; sed Protestantium Doctores in his sibi manifestè contrariantur. Ergo &c. Quod argumentum maximè Musæum ejusque adhærentes ferit, qui non tantum in eadem Ecclesia veros, falsosque Doctores collocant, sed in uno eodemque Doctore instructionem eandem, tam ad fidem, quàm ad hæresin inducentem. Quod licet ita tradat fieri, uti ex eodem flore mella apes, & araneæ venena legunt, sic auditores alii ex corrupto Doctore hoc arripiant solum, quod ex verbo Dei syncerum est relictis in synceris, alii etiam hoc quod vitiosum est trahant: ideòque idem Doctor, quatenus veritatem tradit, sit minister Christi, quatenus falsitatem Diaboli & Anti-Christi. Tamen extremæ absurditatis & desperationis sententia est, ut paucis evinco.

V. 1. Anti-Christus & hæretici non possunt esse pars visibilis Ecclesiæ Joanne teste 1. Ep. c. 2. v. 18. *Anti Christi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est, ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis.* Non igitur hi possunt Doctores Pastoresque Ecclesiæ esse Christianæ, à qua secesserunt, nec ejus promovere regnum, ad cujus destructionem nati sunt.

2. Anti-Christus *negat, quoniam Iesus est Christus, & negat patrem & filium*, 1. Joan. 2. v. 22. Sed qui negat quoniam Jesus est Christus &c. Non potest per mille annos propagare regnum Christi fatendo, quoniam Jesus est Christus. Ergo Anti-Christus mille annis (scilicet ante Lutherum) non potuit propagare regnum Christi.

3. Qui *non serviunt Iesu Christo, sed suo ventri, & per dulces sermones seducunt corda innocentium*, non possunt propagare fidem Christi; sed *ejusmodi (hæretici) non serviunt Iesu Christo* &c. Rom. 16. v. 17. Ergo ejusmodi non possunt propagare fidem Christi.

4. Qui missi non sunt à Christo ejusve successoribus, prædicare non possunt ad salutem Evangelium Christi, *quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. Sed Anti-Christus & Hæretici missi non sunt &c. nam de his Prophetis dictum, *currebant, & non mittebam eos.* Jerem. 23. v. 21. Ergo &c.

5. *Pastores & Doctores Christus dedit in ædificationem corporis*

ſui, ut non ſimus fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris. Eph. 4. ſed ad hoc non ſunt dati hæretici, aut Anti-Chriſtus. Ergo hi non ſunt Paſtores, aut Doctores Eccleſiæ.

6. Qui non poſſunt magis inſtruere ad fidem, quàm *colligere de ſpinis uvas, & de tribulis ficus*, hi fidelibus cavendi ſunt. Plus non poſſunt *falſi Prophetæ*. Matth. 7. Ergo hi ſunt cavendi.

7. *Qui diſſenſiones & offendicula faciunt, præter doctrinam quam didicerunt majores noſtri, ab his declinare jubemur.* Rom. 16. 17. Sed hoc faciunt hæretici. Ergo &c.

8. Non poſſunt eandem ſubire Eccleſiam quibus non eſt pars invicem, ſed non eſt *pars fidei cum infideli, nec eſt conventio Chriſti & Belial.* Cor. 6. v. 14. Ergo non poſſunt eandem ſubire Eccleſiam.

9. Oves Chriſti *proprium Paſtorem ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum* Joan. 10. v. 4. ſed proprius Paſtor eſt tantum orthodoxus; hæreticus verò alienus, Ergo illum tantum ſequuntur, hunc fugiunt.

10. Quod eſt columna & firmamentum veritatis, non poteſt eſſe falſitatis; *Eccleſia eſt col. & firm. veritatis.* 1. Tim. 3. Ergo non eſt falſitatis. Sed eſſet, ſi Doctores tam falſos, quàm veros, ad ſuam inſtructionem complecteretur. Hoc verò minimè eſt admittendum, Ergo nec illud.

11. Qui non ſunt *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum* &c. Eph. 2. non ſunt in Eccleſia Chriſti. Hæretici non ſunt ædificati ſuper tale fundamentum, Ergo non ſunt in Eccleſia.

12. Si hæretici Doctores in Eccleſia tot ſeculis docuiſſent fideles, & in rebus ad ſalutem neceſſariis inſtruxiſſent, propagaſſet Diabolus per miniſtros ſuos regnum Chriſti. Sed hoc fieri non potuit, afferente Chriſto Luc. 11. v. 23. *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.* Non potuit igitur per ejusmodi Doctores propagari regnum Chriſti. Nolo jam rationibus contra tam irrationales creaturas agere, qui audent aſſerere ignorantem populum ab infideli ad fidem rectè inſtrui. Gregem, qui Paſtorem ſequitur, hoc errante non errare. Qui diſcipulos ſuis magiſtris doctiores eſſe volunt, & hos præ illis veritatem ab errore diſcernere. Quale probrum eſt, homines ratione præditos ad tantam abſurditatem delabi malle

malle, quàm veritatem ante oculos positam venerari! Deus infelices ad mentem salutemque reducat!

VI. Hæc igitur fundamenta veritatis illius quam tuemur, Musæus evertat, priusquam tam absurda & à Deo, à ratione à suismet etiam Confessionibus aliena profe ̃rat. Innumeris hic hominem Sanctorum Patrum testimoniis non obruam. Paucis tantum suorum Doctorum testimoniis, nec sine divini verbi fulmine perstrictum, dimitam. Ut consultius imposterum philosophetur.

Sic Lutherus in brevi confessione de Sacram. tom. 8. Jen. fol. 181. & tom. 7. Germ. Witteb. f. 562. *Ecclesia nec debet, nec potest mendacia, aut errores docere, & nec in articulo quidem unico. Si unicum tradat mendacium, jam tota falsa est, dicente Christo Luc. 11. v. 35.* Vide ne lumen quod in te est tenebræ sint. Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. *Hoc est planè lucidum esse debet, neque ulla remanere tenebra, purum Dei verbum ac veritatem, & nullum errorem aut mendacium debet docere Ecclesia. & quî possit aliter fieri, cum os Dei, os sit Ecclesia?* Idem loc. cit. tom. Jen. fol. 176. tradit diserte se non posse cum Zvvinglianis in eadem Ecclesia sociari, idque ex S. Literis, *S. Ioannes*, inquit, *tradit* ep. 2. 10. si quis veniat ad vos, & non adferat doctrinam hanc, nolite recipere in domos vestras, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. *Hic audis quinam is sit, qui me vetet hos sectarios vel audire, vel videre; sed vitare jubeat, & damnare, uti & supra ex S. Paulo Tit. 3. dixi, vitandum hæreticum post unam alteramque admonitionem esse.*

Institutiones Catecheticæ Luther. Dieterici de *Not. Eccl.* eundem erroris damnant. ex Matth. 28, 19, 20. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi; & ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem.* Et Luc. 10. 16. *Qui vos audit me audit.* Subjiciuntque ex D. Hieronymo in Psal. 133. *Ecclesia ibi est, ubi vera fides est, ubi fides non est, ibi nec Ecclesia est.* Quid ad hoc Musæus noster dicturus est, cum Christus non sit cum hæreticis, sit tamen cum sua Ecclesia & orthodoxis Doctoribus: ut qui hos audit, Christum audiat. Procul igitur ab hac Ecclesia hæreticorum illa cloaca, quam Musæus cum quibusdam suorum hoc tempore evehit. Procul lupi ab illius ovili. Certè Lutherani in Catechesi cit. Diet. eum Photinianismi condemnant, si persistat. *Errant*, ajunt, *Photiniani Ecclesiæ notam esse synceritatem*

doctrina negantes. Sed & alios Symmystas Musæi in hac ejus Ecclesia si audire volupe fuerit.

VII. Audiat Calvinum lib. 4. Instit. c. 2. §. 1. *Quanti*, inquit, *apud nos valere debeat verbi & Sacramentorum ministerium & quousque procedere ejus reverentia debeat, ut sit nobis perpetua tessera dignoscendæ Ecclesiæ, explicatum est. Nempe ubicunque integrum extat & illibatum, nullis morum vitiis, aut morbis impediri, quo minus Ecclesia nomen sustineat &c. Atqui simul ac in arcem religionis irrupit mendacium, summa necessaria doctrina inversa est, Sacramentorum usus corruit, certè Ecclesiæ interitus consequitur, perinde atque de vita hominis actum est, jugulo transfixo, vel præcordiis lethaliter sauciatis. Atque id ex Pauli verbis Eph. 2. liquidò evincitur, cum docet* Ecclesiã fundatã esse super doctrinam Apostolorum &c. *Si Ecclesiæ fundamentum est Prophetarum & Apostolorum doctrina, quâ salutem suam in uno Christo reponere fideles jubentur, illam doctrinam tolle, quomodo amplius ædificium constabit? Deinde si vera* Ecclesia columna est ac firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. *Certum est non esse Ecclesiam, ubi regnum occupavit mendacium & falsitas.*

Cocceius quoque Leidensis Theol. in prima sua contra me, Refutatione Thesis hujus (vermeinter Schrifft-Prob) part. 1., c. 2. §. 2. p. 29. Non dicimus, inquit, quod apud Ecclesiam, ejusque Doctores non manserit spiritus veritatis, sed asserimus illum non cessisse à cæteris omnibus, atque ad Pontificem, Monarcham transisse.

Cujus ego confessione præsenti loco acquiesco, atque intactam hactenus à Meiero & Cocceio conclusionem repero. Cum ex his constet Ecclesiam Christi Doctores hucusque Pastoresque, eosque non corruptè sed purè verbum Dei prædicantes, habuisse, consequens esse, ut visibilis hactenus & infallibilis duraverit, ac porrò ad consummationem usque seculorum, eadem fulta veritate, adversus omnem nequitiam hominum & circumventionem erroris sit perstitura. Eph. 4.

* *
*

CAPUT

CAPUT VII.

Dum Protestantes frustra conantur orthodoxos Pastores Doctoresque ex priscis Romanæ Ecclesiæ hostibus suæ Ecclesiæ vendicare, illam magis stabiliunt.

1. Adversarii quando amisso jam clypeo & hasta, adversus Doctores Pastoresque, tam puros in doctrina, quàm perpetuos, ex hac pugna redeunt, viribus sensibusque utcunque collectis, alio tela convertunt, omnemque conatum insumunt, ut sibi quoque Doctores Pastoresque ejusmodi ante Lutherum, ex clanculari à sua Ecclesia prodeuntes, vendicent. Quod dum ajunt, palmam nobis iteratam de Doctoribus ejusmodi perpetuis deferunt. Hos è veteri Ecclesia ab Apostolis usque ad Gregorium Magnum, aut Bonifacium tertium Pontificem sibi ex SS. Patribus tribuere conantur, quos suæ doctrinæ saltem in necessariis fidei articulis assertores esse volunt, donec Bonifacius manifesta apostasia Rom. Ecclesiæ, primatum super universam Ecclesiam sibi à Phoca Orientis Imp. oblatum, tyrannicè usurpavit. Ab hoc igitur tempore eos, qui ejusmodi sese tyrannidi opposuerunt, vel aliquem ex Catholicæ Ecclesiæ art. suæ hodie doctrinæ adversantem convellere aggressi sunt, hos Doctores sibi Pastoresve legitimos adjudicant. Quare plurimos de hæresi olim damnatos rursum ab inferis suscitant, ut aliquem suorum Doctorum numerum conficere videantur. In hunc finem *Catalogus testium veritatis* primùm à Matthia Flac. Illyrico productus, deinde aliorum Protestantium studio auctus, collegit, quotquot unquam Romanæ Ecclesiæ ejusque instituto contradicere visi sunt, sive privati illi Doctores, sive plures in Conciliis sociati, sive sectæ hominum integræ fuerint. Sic (ut potiora quædam recensam) ad evertendum cultum imaginum Concilium producunt Constantinopol. & Francofurtense, atque illud quidem anno Christi 754. sub Copronymo per 338. Episcopos, hoc sub Carolo Magno celebratum. Ad tolendum de transsustantiatione fidem, Bertramum, Scotum, Berengarium autores veteres. Ad rejiciendum Rom. Pontificem cum tota adhærente Ecclesia Waldenses, Wickleffitas, Hussitas aliosque ante se religionis, ut volunt, suæ assertores. Unde concludunt semper in Ecclesia extitisse, qui traditam hac ætate à Protestantibus doctrinam olim tuiti, Romanæ sese ty-

tannidi, manifesta confessione, opposuerint. Quam rem, ut penetremus certius, pauca quædam erunt prænoranda. Jure enim nobis de concordia sperata gratulamur, quando veros purosque in Ecclesia Christi semper Doctores Pastoresque fuisse, palamque orthodoxam semper doctrinam auditam esse, hoc *Catalogo testium veritatis* profitentur. Nisi fortè hoc falsis Prophetis veritatis defensæ propagatæque elogium tribuant, quod jam antea Christi Ecclesia est eliminatum.

II. Notandum igitur 1. Verus Doctor Pastorque Ecclesiæ haberi non potest, qui vel in uno fidei articulo pertinaciter deflectit, ut ex ipsis Lutheranis & Calvinistis supra c. 6. n. 6. & 7. ostendimus, Bonum enim ex integra causa malum ex quolibet defectu, *qui in uno offendit. omnium reus est* Jac. 2. v. 10. *quæ enim conventio Christi ad Belial* 2. Cor. 6. Et hæc diserta Lutheri etiam doctrina est, in brevi Confess. tom. 8. Jen. fol. 180. *Dixi pertinaciter*; nam & errare quis in necessaria fidei materia potest; eò quòd sentiat autoritate se divina niti, & talis formaliter non errabit, licet materialiter erret, quia ratio assentiendi ipsi est autoritas Dei, ideoque si de alia mente Dei instructus fuerit, errore suo decedet: cum nullâ autoritate ducatur, quàm sola Dei. Et hoc modo Cyprianus olim, potiorque Africanæ Ecclesiæ pars eidem consentiens, de Baptismo hæreticorum; Ita & inter sanctos Patres, alii in errore versati sunt. Qui aliter de mente Dei, ab Ecclesia reliqua non errante, instructi cesserunt, propterea inter formales hæreticos nunquam censendi. Augustini enim, Mejero fatente, voces sunt: *errare possum, hæreticus esse non possum.* In qua observatione Protestantes nobiscum conveniunt, qui Patres primorum quinque, aut sex seculorum negant in substantialibus fidei universè aberrasse, licet quosdam nævos habeant. Ejusmodi tamen error in universam Ecclesiam Catholicam redundare non potest, quia hæc fundata est supra firmam petram, quæ si omnibus suis personis erraret, non haberet corrigentes.

III. Notandum 2. Neque quemlibet in Ecclesia Christi hominem, neque eundem semper teneri ad omnes articulos necessarios expressè credendos, qui universè ad Fidem requiruntur; sed sufficere, si implicitè seu affectivè id præstet, hoc est, ita affectus sit, quod omnia paratus sit credere, quæ à Deo revelata esse intellexerit. Nam alioquin adolescentes, idiotæ, milites, rustici, qui aliquos Fidei articulos, nondum sufficienter sibi propositos, ignorarent, salutem ex defectu Fidei non possent

sent assequi, quod nemo prudenter dixerit. Et hoc notabile in fundamento prioris nititur, quia satis est, ad rationem salutiferæ Fidei, quod paratus homo sit divinæ autoritati, in omnibus quæ revelavit, assentiri. Quæ duo principia usque adeò etiam placent protestantibus, ut ex his Doctores ducesque reformationis suæ Lutherum & Calvinum, si quando vel contraria, vel diversa posterioribus annis scripserint, in his vel errore tantùm materiali, vel ignorantiâ purè privatâ, sine culpa, ferant deliquisse.

IV. Notandum 3. Cùm ex divina permissione *oporteat* in Ecclesia *hæreses esse, ut qui probati sunt, perfecti fiant*: ideòque sub nomine Christiano semper aliæ Ecclesiæ, aliis opponendæ sint, qui perpetuò de Fidei veritate dimicent, omnesque contendant se divinâ potissimùm autoritate niti, & manere in doctrina Christi (nam & omnibus hæreticis usitatum est provocare ad S. Scripturas, ut sub harum prætextu sensum privatum obtrudant) ideo observandum; quænam harum Ecclesiarum Apostolica sit, ab Apostolis scilicet fundata & propagata, quia vera Ecclesia debet esse *extructa super fundamentum Apostolorum* Ephes. 2. à quâ deinde reliqui dissentientes sectarii excesserint, quia de his dicitur: *Ex nobis prodierunt* 1. Joan. 2. denique quam unam omnes audire, ut rebelles detrectent; cùm tamen se invicem compatiantur, & audiant. Ut Joannes c. 4. suos fideles monuit. *Qui novit Deum audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos, in hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* Quam igitur Apostolicam agnoveris, & à qua ceteros suo tempore certis nominibus ducibusque egressos noveris, quamque unam ab omnibus oppugnatam videris, nunquam tamen expugnatam; hanc unam solamque noveris esse orthodoxam, quæque verè S Literis & genuina earum sententia, autoritate Dei freta, subnitatur. Hoc ultimum meum notabile, ex S. desumptum Scriptura, si amore veritatis, Protestantes admiserint, prompta erit ad concordem Ecclesiam accessio: si restiterint, Deo salutique propriæ resistent. His positis.

V. Respondeo 1. Patres quidem vet. Ecclesiæ penè omnes fuisse orthodoxos juxta notabile 1. verùm tantùm abesse, ut Protestantibus in controversis hisce ætatis articulis faveant, ut in 3. part. Concord. eos ubique adversari, atque in primis Augustinum (quem Mejerus p. 122. sibi frustra vendicare conatur) abundè, ipsis etiam Protestantibus consentientibus, ostendetim. Qui tantò magis sua in sententia formidandi aut sequendi

 sunt,

sunt, quantò fortius ex S. Scriptura obluctantes stringunt. Ad illam igitur scholam Patrum, in qua hodierna nostra doctrina jam olim ex S. Literis tradita est, omnes veritatis salutisque cupidos remitto; Durum erit contra hunc stimulum calcitrare, ac tales tantosque erroris arguere.

VI. Resp. 2. Cum ex sequentibus, à seculo quinto, vel sexto, temporibus nulli neque Doctores, neque Concilia à Romanis etiam damnata, produci queant à Protestantibus, quæ non in pluribus articulis, hodie de fide controversis, cum Romano-catholicis, quam Protestantibus senserint, ac plerumque in uno solum articulo alteró ve deflexerint à Romanis, in cæteris perstiterint universis; emendicati isti Doctores, & concilia nequicquam vendicata, non solum Protestantes non adjuvant, sed maximè etiam confundunt, quòd vel damnata, suo etiam calculo, hæreticorum patrocinia accersant, vel in iis probare articulis cogantur, in quibus Romanos damnant. Coactum illud à Copronymo (cujus vel nomen aversari deberent) conciliabulum sine Rom. Pont. & sine Alexandrino Antioch. & Hierosl. Patriarchis præcipuis, à Stephano Papa aliisque orientis etiam Patriarchis irritatum est, & secuta anno 785. Nicena Synodus 7. œcumenica pristinum imaginibus locum, damnatis Iconoclastis, restituit, duratque hæc veneratio in hunc usque diem, ut acta Jeremiæ Patriarchæ Constant. cum Theologis Wittenb. (quæ Mejerus p. 102. ignorare videtur) ab ipsismet edita, & decreta Constantinop. contra Cyrillum Lucarim Reformatorem, à Cyrillo Berrhoensi; & à Parthenio Patriarchis vulgata ostendunt.

VII. Francofurtense concilium, in decreto contra imagines vim non habet: tum quod particulare hoc à generali concilio probatum non sit; tum quod constet (ut ipsi Magdeb. cent. 8. c. 9. asserunt) Rom. Pontificis legatos huic decreto adversus imagines non subscripsisse. Prætereà cum damnet, quod Orthodoxa Nicena Synodus non asserit, illam tangere non censetur; verùm aliam Nicenam heterodoxam, quæ eundem quem Christo imaginibus illius honorem indulsit, quo etiam sensu à nobis jure damnatur. Quod si verò Protestantes Francofurtense cum libris Carolinis probent Concilium & hoc ejusdem decretum probabunt, quod *sine Romani Pontificis approbatione nullum concilium sit admittendum* Sed his aliisque frustra immoramur, quando certum est, in plerisque sensisse cum Romanis hæc concilia, atque à Protestantibus dissensisse; vel in uno fidei articulo cum his pugnare, satis sit ad separationem, etiam si

in reliquis evincas convenire. Bonum ex integra causa est, ut Not. 1. ostendi. Ideoque Scotus, Berengarius, aliique centeni autores producti, cum in pluribus adversentur, non modò non juvant, sed gravant etiam causam Protestantium. Quod cum non ignorent, vertunt se ad damnatos olim hæreticos, in plerisque secum articulis consentientes, quales præ Waldensibus sibi propriores non reperiunt. Et quid mirum, quando ex hæresum antiquarum segmentis suam hanc fidem consarcinatunt.

VIII. Resp. igitur 3. nec VValdenses, nec Hussitæ aliive veterum Protestantes tuentur doctrinæ similitudine. Nam licet magnam suæ doctrinæ ac defectionis partem ab hæresi illorum Lutherus, Zvvinglius, ac Calvinus, multoque maximè Schvvenchfeldius, Menno, & Anabaptistæ mutuati sint: tamen in multis, etiam necessariis Fidei articulis cum iisdem non conveniunt; ut vel ex ipso *Catalogo testium veritatis* ab adversariis producto palam fit, qui Reinerum, Papisticum quidem (Et quem alium? cùm Protestantes nondum nati essent, VValdenses nihil de sua secta scriptum reliquerint) scriptorem, sed quo antiquiorem certioremque habeant neminem, necessitate, non voluntate inducunt, ex M. S. libro membrenaceo. Ex quo dum recitant articulos VValdensium penè omnes, confirmant Romanæ Ecclesiæ ritus eo tempore circa annum Domini 1160. (quo hanc sectam natam ferunt l. 15. c. 1498.) Ceterùm, ut taceam articulos à Schleidano l. 16. com. exceptos, quos cum Protestantibus ferè communes habent, hos Catalogi autores ex Reinerio adjiciunt. l 15. c. 1510.

Error 1. quòd Ecclesia Romana defecerit à Silvestro, cùm ve-
, nenum temporalium in illam infusum est. 2. Quòd ipsi so-
, li justè vivant. 3. Evangelium penè nemo servet præter se.
, 4. Quòd ipsi sint verè pauperes spiritu. 5. Quòd ipsi sint
, Ecclesia Christi, *&c.* 10. (*nam cetera brevitatis causa præter-*
, *eo*) Papa & omnes Episcopi sint homicidæ propter bella 11.
, Quòd non sit obediendū Prælatis, sed tantùm Deo, Act. 5. *oportet Deo*, & c. 12. Quòd nemo major sit altero in Ecclesia Mat. *Omnes vos fratres estis.* 13. Quòd nemo debeat genua flectere sa-
, cerdoti. Ap. Angelus Joanni dixit. *Vide ne feceris.* 14. Quòd de-
, cimæ non sint dandæ, quia in primitiva Ecclesia non daban-
, tur. 15. Quòd Clerici possessiones non debeant habere,
, Deut. *Non habebunt sacerdotes partem, &c.* 19. Immu-
, nitatem Ecclesiæ, & personarum & rerum Eccl. spernunt,
, Concilia, Conventus, & Synodos despiciunt. Hæc in prima

parte

parte errorum adversus Ecclesiam Rom. In 2. adversus Sacramenta. Omnia, ait *Catalogus*, Sacramenta Ecclesiæ damnant. De Sacramento Baptismi dicunt, quòd nihil sit Catechismus, quòd absolutio, quæ datur infantibus, nihil prosit. De Sacramento Eucharistiæ, quod sacerdos in mortali peccato non possit conficere, quòd bonus Laicus, etiam mulier, si sciat verba, conficiat. Quòd substantiatio non fit in manu indignè conficientis, sed ore dignè sumentis, & confici possit in mensa communi. Malach. *In omni loco offertur*, &c. quòd ipsi communicent quotidie. De Sacramento Pœnitentiæ dicunt, quòd nullus possit absolvi à malo Sacerdote; quòd bonus Laicus habeat absolvendi potestatem, *&c.* Sacramentum Conjugii damnant, dicentes mortaliter peccare conjuges, si absque spe prolis conveniant. Gradus affinitatis carnalis, & spiritualis spernunt. Sacramentum unctionis reprobant, quia tantùm divitibus datur. Sacramentum Ordinis nihil esse dicunt, quòd omnis bonus Laicus sit Sacerdos, sicut Apostoli Laici erant. Quòd omnis Laicus & fœmina debeat prædicare. Cor. *Volo vos omnes loqui linguis, &c.* Ecclesiam muratam reputant ut horreum, Act. 17. *Non in templis manufactis habitat, &c.* Dicunt quòd omne juramentum sit mortale Mat. 5. *Nolite jurare omninò, &c.* Qui dicit verè, vel certè, reputant juramentum. Plusquam homicidam reputant, qui cogit jurare, *&c.* dicunt, quòd omnes Judices & Principes damnentur, & maleficos non damnandos Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Hucusque ex *Catalogo test.* quibuscum consentire video, quæ ex aliis M.S. eruta impressaque ex Reinero leguntur, qui annis 17. cum Waldensibus vixit, illaque hos pietatis descibit specie fuisse externa, quæ hodie in Anabaptistis cernitur, cùm tamen (ut alii notarunt, & habet Directorium Inquis. Fidei apud Bzov. tom. 1. ann. 1270. n. 12.) omnem sibi suisque carnis libidinem in occulto indulgerent. Quæ ex Guidone Carmelita Bernardo Luxenburg. & Antonino, qui omnes ante Schleidanum & Thuanum vixerunt, in plerisque confirmantur, tom. 3. Conc part. 3. p. 563. Quibus præterea longè vetustiores accedunt. Petrus de Pilichdorf, & Ebradus, qui singulares de Waldensibus Tractatus edidere, & plerosque illos articulos producunt, ut apud DD. Wallenburgicos strictim videre licet, de Unit. Eccl. l. 5. c. 8. §. 5. & seq. ubi ex illo quidem contra Mo-

jetum

jerum nostrum afferunt: *Licet mentiantur dicentes, sectam eorum durasse à temporibus Sylvestri Papæ.* Patetque idem ex cognita sectæ origine per Petrum Waldum civem Lugdunensem, qui suis in pauperes ann. 1160. distributis; nomen quoque eisdem Leonistarum, seu pauperum de Lugduno reliquit, qui ejus vitæ institutum sunt prosecuti, quanquam & Cathari, quòd se puros profiterentur dicti sint, aliaque diversis in locis nomina traxerint. Ermengardus vetus Scriptor eosdem cum *Albigensibus* confundit, traditque duos agnovisse Deos, unum malignum, qui Moysi legem dederit, ideoque vetus Testamentum rejecisse, quòd corporum resurrectionem negarint, in operibus solùm confidentes Fidem prætermiserint: Mulieres in suo sexu negarint posse salvari. Sed hæc Albigensibus cum eadem secta confusis alii tribuunt, ut Protestantes, qui hos sibi etiam majores vendicant, intelligant, quanta doctrinæ veteris puritate queant gloriari.

IX. Jam si posteriores sibi sectarios, tanquam avos atavosque vendicent, ut Wichleffitas, Thaboritas, Hussitas, longè hi certè magis cum Romanis consentiunt, atque à Protestantibus discedunt, quàm Waldenses, ut ipsimet in *Catalogo test.* col. 1507. per Illyricum fatentur, ubi sic legitur: *Nequeo satis mirari qui acciderit, quòd cum eodem tempore simul Hussus & VValdenses in Bohemia fuerint, non tamen ex eorum collatione Hussus suam doctrinam aliquantò purgatiorem ac solidiorem effecerit*: Judicet equus Lector igitur, ex articulis suprà positis, quantæ puritatis, quamque sibi convenientes Doctores ante Lutheri tempora Protestantes ex antiquitate eruant. Ipse Illyricus Cent. 12. c. 8. Gazaros, è classe Waldensium, inter hæreticos recenset. Quomodo igitur Wichleffum Hussumque cum suis Thaboritis sibi succenturiare poterit, quos & operum justitiam, & invocationem Sanctorum, & purgatorium & Sacramenta 7. & satisfactionem pro peccatis aliaque id genus Protestantibus detestata, admisisse, ex Confessionibus eorum constat.

X. Postremò ipse Lutherus in præcipuo suæ religionis fundamento Waldenses dissentire fatetur, In Colloq. enim Germ. cap. Von den Schwärmeren scribit Waldenses *sanctos quidem operarios esse, sed quòd fides sine operibus justificet, nequaquam credere.* Quod quàm verè dixerit, omnes eorum Confessiones, Fideique articuli significant, ubi de Fide sola justificante, nec jota quidem extat, imò contrarium supra exhibitum est. Nec obscu-

obscurè in *Catalogo testium* ex Othovino Gratio col. 1529. traditur in Confess. VValdensium art. 6. *Illum pronuntiamus sanctum, qui gratiam Dei in Christi merito, & dona charismatum pneumatis almi gratuita videlicet Fidei, Charitatis non fictæ, & Spei vera adeptus est.* In quibus universe Romani, non Protestantes, justificationem peccatoris constituunt. Denique Mejerus ipse fatetur, quòd Lutherus ad VValdenses scribat, hortetúrque his verbis tom. 2. Jen. Germ. fol. 230. ut papisticos errores deponant. *Habetis etiamnum ex Ecclesia papistica Sacramenta septem, cùm tamen Scriptura nonnisi duo, Baptismum & cœnam Domini agnoscat, &c.* Denique subjungit Mejerus. *Quandoquidem igitur VValdenses ex hoc tempore Sleidano, Flacio, & Hunnio testibus, nonnisi duo hæc Sacramenta admittant, apparet Luthero monenti an. 1523. obtemperasse.* Fatetur igitur Mejerus, difformes antè VValdenses, Lutheri primum tempore, hanc ejus reformationem, quàm Sleidanus alique describunt, admisisse. Sed nos Doctores quærimus, qui ante Lutherum ad Apostolos similem cum Protestantibus Fidei doctrinam tradiderunt, nondum hactenus repertos, frustraque inquirendos.

XI. Videat igitur prudens Lector in quantam desperationem de orthodoxæ Ecclesiæ Notis apud se suosque reperiendis Protestantes conjecti sint, qui talem hominum fecem in consortium arcessere, atque ex tam abominandis sordibus frustrà suæ sectæ puritatem eruere conantur. Et verò concedamus hos illis liberaliter, fruantur tam culta gente, quos ab anno 1160. ad Apostos usque his procreabunt similes? quam illustrem hi conficient Ecclesiam, quæ est fuitque semper *civitas supra montem posita, & abscondi non potest, ad quam omnes fluent gentes?* Certè *Catalogus test.* de illis parum magnificè sentit suopte, non alieno judicio col. 1506. *Politia, inquit, porrò eorum Ecclesiæ varia fuit. Haud enim scio an usquam diu publicè, seu manifestè suam doctrinam sint professi, suas ceremonias & conciones publicè peregerint, præterquam in Bohemia, & in quadam valle radicibus Alpium.* Illustris enim verò Ecclesia, & digna Catholico nomine, quæque propagatum toto orbe per Apostolos Evangelium sustineret! Verùm tamen etiam talem adhuc veluti Catholicam, & Christo dignam, largiamur Protestantibus. At quibus tandem? Lutheranis, aut Calvinistis? Socinianis, an Anabaptistis? omnibus certè non possumus, quamdiu sic dissentiunt, si uni demus, auferimus ceteris. At paupe-

tes erant, & Christo suadenti obtemperabant, *vade, vende, da pauperibus & sequere me*: ut primi olim Christiani, omnia omnibus volebant esse communia. Placétne hæc conditio? Certè si aliquibus hodie concedendi VValdenses, tanquam maximè conformes, essent: non nisi Anabaptistæ, aut Quakeri esse possent, quorum primum mihi semen, quanquam partu valde dissimili, reliquisse videntur. Non est itaque quòd Protestantes suam ante Lutherum fidem ex turbatissimis his fontibus haurire conentur.

XII. Objiciunt. At neque Acatholici iis omnibus, quos definivit Tridentinum Fidei articulis, suam apud proavos religionem inveniunt. Ubi, inquit Mejerus, ante secula quindecim Romanus Pontifex caput Ecclesiæ creditus? ubi Missæ sacrificium? Transubstantiatio? satisfactio? Confirmatio? Ordo? *&c.* Respond. Jam in concordiæ Medit. part. 3 hæc fuisse ostendi, quæ operæ pretium non est repetere. Cæterum hic illius omnes quod notabili 2. posui memores esse velim Protestantes. Ecclesiam sensim ut hominem post sublatos ab illa Doctores Apostolos, ætate progressuque temporis profecisse in doctrina Fidei, & tradita olim in SS Literis Patribusque, ut hæreticis sese ingruentibus, exponeret, disertè magis expressèque eruisse ac manifestasse. Dum igitur exponit, declaratq; in rebus Fidei antè obscurius in vulgo cognita: implicitè tamen ab omnibus credita non magis à Fide discedit, quàm fidelis adolescens, qui jam ex S. Literis, quàm orthodoxis Doctoribus cum ætate, in Fidei doctrina profecit. Unde siquid in Concilio Trident. magis exertè definitum ab Ecclesia fuerit, tantum abest, ut defectum ipsius arguar, ut laudabilem ejus quoque profectum ostendat. Quod si igitur de ejusdem Ecclesiæ Doctoribus asseras; Veteres nullos reperiri, qui eosdem omnes, quos Tridenr. Fidei articulos prodant: facilè id possumus largiri, modo non evincas, Ecclesiam universè ejusque Doctores contrarium aliquem his articulum, velut de Fide, amplexos fuisse. Ita in veteri orthodoxa Ecclesiâ ante Nicenam Synodum, nec expressè Filius Dei ὁμοούσιος dictus fuit; sed nec ejus contrarium fuit traditum. Negativè enim, hoc est, non tradendo disertè articulos omnes, à fide hac nostra minimè deviarunt cum divina autoritate, quâ pleraque ac præcipua Fidei capita inducti credebant, implicitè omnia acceptarent, quæ ejusdem autoritatis essent. Illos solùm tanquam heterodoxos autores rejicimus, qui positivè his articulis contra-

ria, spreta autoritate obnitentis Ecclesiæ, tradiderunt. Tales igitur si Doctores, talemque si nobis ante Lutherum Ecclesiam Protestantes exhibeant, pax concordiaque futura est.

XIII. Concludo denique : Manifestum esse quòd Protestantes in errore versentur. Nam cùm Ecclesia orthodoxa per mille annos sine puro legitimoque ministerio non extiterit, ut ab utraque parte receptum est, sequitur orthodoxos esse non posse, qui nullum omninò doctrinæ ante se ministerium quod suæ repugnans non sit, queunt producere : Sequitur præterea tales, velut hæreticos in Ecclesia, juxta notabile 3, exortos esse. Alterutrum enim necessè est, ut aut Romano Catholici à Protestantibus aliisve sectariis, aut hi ab illis egressi sint, cùm opposítas sibique repugnantes Ecclesias sequantur. At Romani ab illis, seu Waldensibus, anno Christi 1100. nondum natis, egredi non potuere. Ergo hi à Romanis discessere. Iterum Romana Ecclesia cui se opponunt à tempore Gregorii, aut Bonifacii, una fuit, sub unius summi Pastoris moderatione hucusque iisdem legibus persistens ; at repugnantium Ecclesiæ plures olim atque etiamnum diversæ. Multæ semper contra hanc pugnarunt unam, una adversus multas. Illam igitur ab his prodire adeò divisis diversisque fuit impossibile, cùm præ ceteris, una semper eademque manserit. Has itaque ab illa prodiisse erit confitendum, quod à principio una solùm Christiana ab Apostolis fuerit instituta. Denique quis ambigat Romanam hanc unam esse orthodoxam : cùm reliquarum hac ætate nullæ sedem obtineant ab Apostolis fundatam : vel si quæ in Oriente hanc aliquo sibi nomine venditent, ut potest videri Græcorum, hanc ipsi Protestantes ob erroneam de Spiritu S. doctrinam aliosque à se diversos articulos orthodoxam esse pernegent. Quamvis ridiculi quidam conciliatores hanc sibi ne quicquam adjungere conati sunt, quos Græci cum probrosa repudiatione sunt aspernati. Postremò nullum Protestantes suæ adferunt orthodoxiæ argumentum, quod Anabaptista, Socinianus, aut quivis alius hæreticorum, iisdem verbis, eodemque sensu usurpare nequeat : ac proinde nullum argumentum habent, quo error hæresisque non innitatur. At verò argumentum quod non magis hominem probat esse orthodoxum, quàm hæreticum, hoc orthodoxam veritatem non potest tueri. Ergo omnino est explodendum.

XIV. Verùm replicat Mejerus, quæ vos de successione Doctorum ac ministerio Romano semper hactenus spectato, hæc

& Ju-

& Judæus & Mahumetanus uſurpare de ſua Eccleſia poterit. Argumentum hoc igitur eſt explodendum. Reſpond. Adverſus ſolos hæreticos hæc nobis diſputatio ſuſcepta eſt, ideoq; & definita Eccleſia, & notæ illius conſtitutæ ſunt, prout illa à congregationibus ſectariorum ultima differentia diſtinguitur: quæ à Judæis & Mahumetanis, per baptiſmum & legem Chriſti abundè ſeparatur. Unde aliis contra hos argumentis erit pugnandum. Patetque hinc etiam quanta Muſæus deſperatione cauſæ ſuæ ad generales haſce Eccleſiæ notas Baptiſmum & Scripturam S. confugerit; quod, cùm illas quivis admittat hæreticus æquè ac orthodoxus, ex his ſignis ille nequeat oppugnari. De quo infrà aliquantò plenius diſſeretur.

CAPUT VIII.

Proteſtantes denique totam cauſam de veritate Eccleſiæ Romano-Catholicis tradunt, quando conformes ſibi in Fide & doctrina Paſtores Doctoresq; uſque ad prima ſecula defuiſſe fatentur.

I. Iam per tortuoſos flexus lubricaſque ambages Proteſtantes ſecuti, in eas redegimus anguſtias, ut fateri cogantur denique novam ſe incognitamque per multa ſecula doctrinam adferre, quam alii diu antè ſe Paſtores Doctoreſque non ſint proſecuti, ita ut in hoc ſilentio, vera Chriſti Eccleſia diu abſcondita latuerit, à Luthero rurſum ad lucem & conſpectum hominum, per veram doctrinam, & Sacramentorum uſum producta. Quamdiu autem ſic latuerit, ut plenè purèque vera Evangelii doctrina tradita non ſit, convenire ſatis nequeunt. In VValdenſium Doctorum maniſeſto defectu, uſque ad primorum ſeculorum Patres, nullum talem Doctorem, Lutheri aut Calvini catecheſin, ita ut ejuſdem doctrinæ conformem decet, ſecutum, excitare poſſunt. In ipſis deinde Patribus, ſive ſigillatim, ſive universè ſibi vendicandis iterum hærent, ambiguis ſententiis diviſi, & præter Calixtinos pauci ſunt, qui hos velut genuinos, in neceſſariis Fidei articulis non diſſentientes Doctores, ſuæ Eccleſiæ arceſſant; adeò, ut ad ipſos Apoſtolos eorumque doctrinam, quam non minùs Catholici, quàm omnes etiam hæretici ſibi arrogant, turpiſſima & deſperatiſſima in omni

omni probatione principii repetitione devolvantur ; quâ cùm nihil magis, quàm hæreticus quivis de veritate suæ religionis demonstrent, manent ab omni tam ratione, quàm fide, in ultima hæreticorum abysso deserti.

Jam qui huc denique ad invisibilem suam Ecclesiam respondendo confugiunt, tanto majori væsania percelluntur, quod evertant, quidquid alii hactenus in Confessionibus & Scriptis suis ex S. Literis tradiderunt. Imò & seipsos nonnulli (in quibus amphibius Mejerus noster est) confutant, quando tam anxiè de quibusdam sibi Doctoribus accersendis ex infima fece veterum hæreticorum soliciti, tandem integris seculis invisibilem potuisse stare, & propagari Ecclesiam contendunt.

Lutherus, ut versatile ad omnia cum Calvino ingenium nactus erat, ita hanc quoque sententiam tuitus est. Nec verius uterque est pugnare secum : ne alicubi suos sectarios in diversa abituros desereret. Sic Lutherus habet (quem perversè Mejerus produxit) In summa Mandat. super Epist. 1. Timoth. 1. in princ. §. 2. *Quod duo miscuerint, opera*, ait, *& fidem, hac offensio puram Fidei doctrinam ab initio ad diem præsentem usque impedivit, qui prædicat opera, evertit fidem qui fidem evertit opera. Haud facile id hodiedum apprehenditur, nisi divino Spiritu dictante. Et multi SS. Patrum hic offenderunt*, &c. *ut sciam neminem, hac de re, ut par est, judicantem, præter Apostolos ipsos, in hoc delectos, ut purè hanc doctrinam traderent, fundamentumq; ejus collocarent. Quidquid librorum est ceterorum, in his minimè reperies ; ut hoc tempore illam intercidisse nequaquam sit admirandum.* Et in præf. Ecclesiastæ. *Scholæ*, ait, *Theologorum fidem certissimam in Christum, cum universa Christi cognitione prorsus extinxerunt*. Et in cap. 4. ad Gal. *Ista sententia* (de incertitudine gratiæ) *fuit articulus Fidei in toto papatu, quo doctrinam Fidei prorsus obruerunt, fidem everterunt, Christum ex Ecclesia sustulerunt.* In brevi Confess. de Sacramento paulò ante finem. (*Quia*, inquit, *doctrina nostra id temporis* (quo primùm cœpi) *nova & supra modum scandalosa erat in orbe universo, pedetentim mihi erat prægrediendum, & multùm imbecillioribus indulgendum.* Et contra Regem Angliæ. *Ego*, ait, *scripturam, & verbum Dei, ita in lucem produxi, ut ante mille annos nullibi repertum est.* Et in cap. 19. Isa fatetur. Id fuisse argumentum primum nostrum contra se, & fore ultimum *Num tu solus sapis, aut majores nostros nihil vidisse putas ? Num illi omnes qui fuerunt ante te erraverunt* ? Ipsa Confessio Augusta-

na

na variata art. 10. circa finem. *Quanta*, inquit, *fuerit olim obſcuritas, quanta confuſio doctrinæ de bonis operibus, bonæ mentes ſatis norunt. Nemo monebat de diſcrimine humanarum traditionis & legis divinæ: nemo docebat quomodo placerent bona opera in tanta infirmitate: denique altiſſimum ſilentium erat de Fide.*

Calvinus in præfat. Inſt. ad Regem Galliæ Novam ſuam doctrinam, ait, illis videri, *quibus & Chriſtus novus eſt, & Evangelium novum* (cujus doctrinam ſepultam rurſus eici excitari) ſubjicitque. *Quod diu incognita ſepultaq; latuit, humanæ impietatis crimen eſt. Nunc cum Dei benignitate nobis redditur, poſt liminii jure ſuam antiquitatem recipere debebat.* Et lib. 4. Inſt. cap. 2. §. 2. *Doctrina*, inquit, *citra quam Chriſtianiſmus non conſtat, tota ſepulta & exploſa.*

Ita & Centuriatores Cent. 2. c. 4. *de Inclin doctr* proximum ab Apoſtolis ſeculum arguunt defectionis. *Etiamſi*, aiunt, *hæc ætas Apoſtolis admodum vicina fuit, tamen doctrina Chriſti & Apoſtolorum non parùm obſuſcari cœpit, multa enim monſtroſa & incommoda opiniones paſſim à Doctoribus ſparſa reperiuntur.* Et de Juſtificat. *Doctrina*, inquiunt, *de juſtificatione negligentius & obſcurius ab his Doctoribus tradita eſt.*

Hæc Whitackerus de Eccl. quæſt. 5. c. 7. confirmat, cùm Bellarmino reſpondet: *Verum eſſe, quòd Calvinus & Centuriatores dicunt. In multis à veteri Eccleſia erratum eſſe, ut de limbo, de libero arbitrio, de merito operum*, &c.

Jam ſi ab his aliiſque Doctoribus novitiis quæras, quo igitur tempore vera orthodoxaque doctrina cum ſuis Doctoribus defierit, iterum ſecum infelices Neomachi pugnabunt, & quod alter affirmat, alter negabit. Nonnulli tam amentes ſunt, ut ſtatim à tempore Apoſtolorum doctrinam in neceſſariis Fidei articulis corruptam ſentiant, adeoque ſub Antichriſti jam tum dominantis regno latuiſſe verè fideles, cum inviſibili ſua Eccleſia, fateantur. Alii trecentos, alii quingentos, nonnulli ſexcentos aut plures etiam annos orthodoxæ ſpectabilique in veris Doctoribus Paſtoribuſque Eccleſiæ largiuntur. Ex quibus illi qui quingentos ſexcentoſve tribuunt, majori ferè inter Proteſtantes numero cenſentur. Quare & ad hos potiſſimùm de veritate inſtruendos vertemur.

II. Argumenta quibus ſe ex S. Literis ſuam tueri opinionem exiſtimant, ex V.T. de Synagoga Judæorum potiſſimùm umuntur. Nam & illi perpetuus hîc ſplendor decuſque promiſſum

missum est. Ita 2. Reg. 7. v. 13. dictum : *Ipse ædificabit domum nomini meo , & stabiliam thronum regni ejus in sempiternum.* Et psal. 88. 29. *Ponam in seculum seculi semen ejus , & thronum ejus sicut dies cœli,* &c. *thronus ejus sicut Sol in conspectu meo.* Isa 33. 20 *Oculi tui videbunt Ierusalem civitatem opulentam , tabernaculum quod nequaquam transferri poterit,* &c. Verùm cùm & Jerusalem, & Synagoga, ac templum illius eversum cum regno sit , apparet hæc Deum sub illa solùm conditione promisisse Exod. 19. v. 5. expressam : *Si audieritis vocem & custodieritis pactum meum , eritis mihi in peculium cunctis populis.* Et 4. Reg. 21. v. 7. *In templo hoc,* ait Deus, *& in Ierusalem , quam elegi de cunctis tribubus , ponam nomen meum in sempiternum,* &c. *si tamen custodierint opera , quæ præcepi eis.* Ita igitur in paribus N. T. promissis sentiendum est. Pacta enim utramque partem obligant , & altera fidem fallente , altera non tenetur.

Respondet huic argumento D. August. l. 17. de civit. Dei cap. 6. *Quando ei* (Synagogæ) *æternitas promissa est, non ipsi umbræ ac figura , sed ei quod per ipsam adumbrabatur figurabaturq; promissa est.* Et vetus Synagoga , quantùm ad Fidem in Messiam, ac Redemptorem Christum (licet quoad ritus accidentarios interciderit) nunquam periit ; sed stetit stabitque ad consummationem seculorum , uti & thronus David, à Christo, licet impari cultu, possessus, constitit. Unde apparet hæc promissa Dei universè tam lubrica ac fallacia non esse, ut ex humana inconstantia suspensa sint, uti nec illæ sunt in N. T. datæ Luc. 1. v. 32. Matt. 16. v. 18. &c. de quibus suprà. Deinde, conditionata illa promissio, quæ particulari templo Jeresolymæo facta est , non debet ad universalem ejus extendi totius orbis ac temporis Ecclesiam , quam *fundavit in æternum.* Nam si hæc promissa, illâ lege data essent ; nisi homines fidem fallerent: non possem in his magis Deo fidere , quàm hominibus ex quorum inconstantia penderent : nec Ecclesia universa majori gauderet beneficio, quàm fidelis quilibet, qui certus esse potest divinæ protectionis, si ipse à Deo prior non desciverit. Denique si conditionata hæc de universali Ecclesia , uti de Solymæa, promissio est , non magis securi sumus , de invisibilis Ecclesiæ, prout Electorum est, duratione, quàm visibilis, quæ in ministerio Pastorum consistit. Nam vel possunt deficere à Fide vera universi fideles , vel non possunt. Si prius, jam illis deficientibus, & Ecclesia invisibilis deficiet, quæ sine vera Fide nulla

nulla est; si posterius, jam æquè certi sumus de visibili Ecclesia perpetuò juxta Dei promissiones duratura, quàm de invisibili, quia certi sumus fideles semel habitam Deo fidem non deserturos, adeoque conditionem ab eis requisitam impletum iri. Sive igitur conditionata, sive absoluta Dei promissio sit, utramque Ecclesiam, vel stare simul, vel intercidere necesse est.

III. Instant exemplis diversis quibus olim V.T. Ecclesiam defecisse, prout visibilis in suis Doctoribus Pastoribusque fuit, arguunt. Ut tempore Noe Gen. 6. *Multa erat malitia hominum super terram, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum.* Tempore Moysis in deserto omnis populus erecto per Aaronem vitulo clamavit: *Hi sunt Dii tui Israel qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Exod. 32. Ita & Judicum 2. & 3. post Josue, *Surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, feceruntq; filii Israel malum in conspectu Domini, & servierunt Baalim.* Tempore Eliæ 3. Reg. 19. Elias queritur, *Dereliquerunt pactum Domini filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuas occiderunt gladio: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Sic Azarias Propheta Asæ Regi Judæ prædicit 2. Paralip. 15. *Transibunt*, inquit, *multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absque lege.* Et ipse Dominus Isaiæ 1. *Cognovit*, inquit, *bos possessorem suum,* &c. *Israel autem me non cognovit, à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Ita & Manasses & filius Amon, erectis in Jerusalem idolis, totum Judæ regnum ad abominandam idololatriam abduxerunt 4. Reg. 2. Denique tempore Christi Synagoga defecit. Nam Joann. 9. excommunicatus est *quisquis Iesum confiteretur Christum.* Et Christus ipse in Concilio damnatus est. Postremò tempore Antichristi, *deficiet hostia & sacrificium.* Dan. 9. & Luc. 18. dicitur: *Cùm venerit filius hominis, putásne inveniet fidem in terra?* Et 2. Tess. 2. defectio universalis his verbis indicatur. *Nisi venerit discessio, & revelatus fuerit homo peccati.*

Respond. 1. Nulla hic ætas Ecclesiæ deficientis producitur, quæ non manifestos Dei cultores, instructoresque ad salutem habeat. Jam diluvio imminente adhuc Mathusalem cum suis vixerat, Noe cum Sem & Japhet diluvio inundante noscuntur, Israele in Ægypto peccante, & Moysis & filii Levi orthodoxi perstiterunt. *Si quis*, inquit ille Exod 32. *Domini est jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Sic

 Josue

Josue mortuo, licet octo annis Chusan servierint Israelitæ ad idololatriam prolapsi, multi tamen in eis fideles perstiterunt: nam Jud. 3. v. 9. *Clamaverunt ad Dominum & suscitavit eis Salvatorem & liberavit eos, Othoniel fratrem Caleb minorem.* Hic igitur in familia Caleb, utiq; cum suis etiam perstitit. Elias 3. Reg. 19. ipse supererat, cum 7. millibus in Israel, quo in regno; si plures metu latuêre, publicè tamen tota in Judæa sub Rege Josaphat florebat religio. Tot etiam Prophetæ Dei cultum profitentes sub Achabi gladio fidem propalam testabantur; ut mirum sit quomodo adversarii hoc potissimùm loco Ecclesiam V.T. latitasse affirment, an quòd 7. millia fidelium Eliæ forrè non cogniti, (qui tamen de solis Prophetis unicum se relictum profitetur) idcirco toto orbe Ecclesia Judæorum erat incognita? Puerile effugium! Azariam de regno Israelitico vera prædixisse non diffitemur: nam hic denique Ecclesia particularis extincta est, quæ in regno Judæorum ad Christum usque permansit. Sub Manasse plures in vera religione perstitere, ut Esaias aliique, per quos & ipse demùm Manasses ad verum Dei cultum reductus est. Quanquam & Israelis Ecclesia illo tempore pari tyrannide oppressa non fuerit. Sic alterutro saltem in orbe hic Sol spectatus est. Sub Christo Nicodemus, Centurio, Lazarus cum familia, D. Joannes Baptista, ipse cœcus à Christo sanatus, permulti Apostoli & discipuli eum agnoscebant, licèt Scribæ & Pharisæi æmuli in Synagoga collecti damnarent. Sub Antichristo mille Christianorum Martyrum non voce tantùm, sed & vita ac sanguine fidem suam testabuntur, prædicabunt Prophetæ, quos ipse occidet, conveniet in prælium integer Christianorum exercitus, à quo denique Christo auxiliante, opprimetur. Et si forrè ad tempus juge sacrificium ab Ecclesiis publicis auferat, quo ipse prævaliturus est, exiguum illud futurum, quo illius sacrificii notitia honorque privatus non auferetur. Quàm optandum Protestantibus esset, si vel ipsi ante Lutherum, illustrissimis suæ Ecclesiæ post Apostolos temporibus, tot producere veritatis testes, neque per annos singulos, vel ternos aut quaternos; sed per tricenos, aut quinquagenos saltèm possent, ut hi illorum proavi, vel in vita humana semel, orthodoxum Doctorem audivisse viderentur. Magnum hoc esset novellæ istius Ecclesiæ præsidium. Nunc, quando nec unus quidem, tot seculorum decursu, ipsis sine contradictione favens produci hactenus potuit, æthiopem faciliùs dealbare, quàm talem adornare poterunt; ideoque in sua sese

sese invisibili Ecclesia desperatè obtegere coguntur.

Respond. 2. Cœci homines, his temetipsos rursum argumentis oppugnant. Nam pleraque de populo agunt ad idololatriam deflectente. Quare si evincerent visibilem Ecclesiam intercidisse, simul invisibilem, quæ sine Fide non potest subsistere, interiisse probarent. Nemo enim simul idololatra esse potest apertus, & occultus fidelis. 3. Hæc loca etiam agunt (si ultimum fortè demas) de Ecclesiis particularibus, his & illis Judæorum; cùm tamen verus Ecclesia plures, quàm solos Judæos complexa fuerit. Nam & Melchisedech, & Job aliique extra hujus gentis lineam verè fideles, salutisque compotes habiti sunt, neque tamen in hac Ecclesia censi. Universalis igitur Ecclesia olim sub sola lege Moysis arctata non stetit, sed latius est propagata. 4. Pleraque hæc de veteri Synagoga sumpta, hoc est à figura & umbra, ad Christianam Ecclesiam, quæ corpus longè nobilius est, malè traducuntur. Certè promissiones etiam V.T. omnes nisi nominatim Synagogam exprimant, ad hoc solùm referuntur, quæ in N.T. sunt longè amplissimæ, ut mirum sit, quà fronte ausint paritatem exigere. Et faciamus sub Antichristo hanc fore obscuriorem, qui triennio nondum integro est regnaturus, quid hæc ad causam nostram, cùm ista eclipsis ubi de illustri Ecclesiæ specie agitur, fuerit in S. Literis excepta? Cassa igitur nuce hoc argumentum non redemerim. Quale & illud est, quod de Synagoga sub Christi accessum exspirante arcessitur. Quod enim à Scriptura defectionis nota signatum est, nos minimè vindicamus. Denique si Antichristus jam venerit, ut Protestantium Ministri somniant, mirum quomodo suam hac ætate maximè efflоruisse Ecclesiam jactent, quàm sub Antichristo dictant obscurandam. O σφαλερὴ!

IV. Postremò his præsidiis exclusi, in omnem sese partem nonnulli versant, & cùm urgentur, Pastores Doctoresque perpetuos agnoscunt, qui in fundamento nunquam errent. Sed hoc fundamentum quàm latè per articulos necessarios pateat, non facilè explicant. Aliqui solam esse fidem in Christum sentiunt, cum agnitione Dei Patris, juxta illud Joann. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: Alii symbolum statuunt Apostolicum pro fundamento, quosdam tamen in hoc articulos minus aiunt receptos: ut ilie, *descendit ad inferos*, quem Nicenum Concil. omisit. Alii cetera quoque symbola in primis 4. Conciliis Oecum, Niceno, Constant. Ephesino & Chalcedonensi,

rint ? Et quid multis opus, Anti-Christi discipuli plus boni in Ecclesia præstiterint discipulis Christi. Diabolus in Schola Dei Magister optimus. Παράδοξα Παραδοξότατα!

CAPUT IX.

Sola Scriptura S. ad definiedas fidei controversias, sine veris Doctoribus Pastoribusque Ecclesiæ non sufficit.

1. JAm ex ultimo latibulo & χρηστφυγετῷ protrahendi in lucē sūt adversarii veritatis. Hoc tale est. S. Scripturam in tabulis typisque hoc tempore repertam, citra Doctores Pastoresque sufficientem esse ad fidem in Ecclesia tot seculis conservandam, quod ex hujus lectione satis homines ad salutem eruditi potuerint, qui deinde & aliis imperitis lecta communicarent, juxta illud ad Timotheum Pauli. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo ad omne opus bonum instructus.* 2. Tim. 3. 16. Si ad *omne* opus bonum scriptura prodest, nihil poterit deesse, erit igitur sufficiens. Hic se quondam Cocceius Batavo-Lugdunensis tanquam sacra firmat in anchora; hic denique Steinbergius ex Herbornensi Academia Theologus se triumphare credit, quando in vulgata nuper Concordia, me in suorum transisse sententiam, cum Semano in suo Epidoro, jactitat, Deoque solennes exsolvit gratias, quòd eorum signis succenturiatus accedam.

Verùm, ut Cocceium taceam, Steinbergius, ne durius fallentem perstringam, volens cœcutit, quando in Concordia Med. part. 1. Tractatu 2. invincibili veritate hunc errorem profligavi, docuique S. Scripturam seipsâ, sine veris Doctoribus, normam esse rerum omnium credendarum non posse, & Protestantes sexcentis hic erroribus manere obnoxios, Semanum mutilare turpiter maluit, quàm illius sententiam profiteri Sic habet cap. 2 part. 15. *Fatemur Scripturam, in rebus hac ætate controversis, meris, claris, impermixtisque verbis omnia proponere*: Hæc citat, ac sequentia perversè subticet: *magis disertè, quam ipsorummet adversariorum, ad solam scripturam provocantium, sententiam; Sed quia verba illius, non obvium tantum sensum, at plures possibiles & indefinitos continent, ideoque per diversa ingenia, in sensus cuique placitos abstrahuntur; neque*

Scriptura ſuperſit, quæ definiat, uter ſenſus neceſſarius ſit, *ideo* DEMONSTRATIO *Veritatis ad Eccleſiam Iudicem eſt referenda*. Quid tibi prudens Lector de fide iſtius hominis, ita aliena ſcripta, allegantis, videtur? ἀρνούμενον tibi relinquo: ego dictam Semani ſententiam, ut meam tueor, ac propugno.

II. Notandum valde, quid Semanus, meo illic nomine, in diſputationis Sigenenſis cauſâ laceſſitus, fecerit. Hanc ſtatuit theſin, impoſſibile eſſe, ut Proteſtantes ex ſola Scriptura S. oppoſitas Catholicis ſententias in ſenſu neceſſario (quod omnino oportet) veras eſſe demonſtrent. Quod adeò fecit confidenter, ut Reformatores illos (ſi Deo placet) noſtros, vel in unica ſententia, quæ de Euchariſtia eſt, ad hoc apodicticè præſtandum, graviſſima conteſtatione provocaret, nihil tamen hactenus impetraverit. Ad hoc tamen obligari Proteſtantes, omnesque, quæ ad ſolius ſcripturæ certum judicium provocant, idque in articulis planè univerſis ad fidem neceſſariis, tam manifeſtum eſt, quàm quod de fide nihil eſſe poſſit, niſi verum, certum, ac neceſſarium. Intelligo tamen Greiffenſteinii in Haſſia D. Steinbergium in præſentia Sereniſſ. Principis Haſſiæ Mariæ Eleonoræ, & Excellentiſſ. Comitis Solmenſis Wilhelmi, hoc, in articulo de Euchariſtia præſtare conatum eſſe, adverſus Principis Confeſſarium P. Kircher. Quam quidem diſputationem publica in luce haut invitus ſpectarem. Equidem polliceri auſim, Steinbergium, ingenti licet ex Scriptura & ratione argumentorum apparatu, nullam ex illis demonſtrationem attuliſſe, quâ concluſerit hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, non alium ſenſum poſſe admittere, quàm hunc: *hoc eſt ſignum corporis mei*. Hoc ſi fecerit, agedum producat, & me hodie illo in articulo ſecum Reformatum eſſe intelliget. Si non feciſſe ſe agnoſcat ideóque quod in conſcientia de ſuo errore ſit convictus, lateat, meritò ut hæreticus eſt explodendus, niſi reſipiſcat. Quare, ad hujus controverſiæ pleniorem deciſionem.

III. Suppono in S. Scriptura duo potiſſimum conſideranda occurrere, *literam*, ſive verbum ſcriptum, & *ſpiritum*, ſive ſententiam à Spiritu ſancto intentam. De litera, ſive verbo, conſtare debet, an, & quanto librorum numero, à Deo ſit? cumque plures hoc titulo proponantur, qui apocryphi? qui veri? & hi, num cum autographo conveniant, aut manſerint incorrupti? Hæc vero omnia, ut certò teneam, ipſum Dei verbum, de quo quæritur, docere me non poterit. Nam quomodo ex ipſo Bartholomæi Evangelio, quod hiſtoriam Chriſti non minus,

nus, quàm Matthæi recitat, intelligam, illud apocryphum esse? hoc verum? quo Scripturæ S. documento? libros posteriores Esdræ rejiciam? nisi priscorum Episcoporum Ecclesiæ Doctorum ac traditionis relictæ autoritate nitar? Iterum, cum jam de litera relicta constat, de spiritu ac sensu potissimum contenditur, & hæc lis seminarium præcipuum hæreticorum est. Cum enim & verborum, & constructionum (ut in humano sermone usu venit) varia, atque ad sensus, tam proprios, quàm translatos fecunda prorsus in S. Literis sententia ac significatio sit; quòd opposita in speciem nonnunquam, de rebus gravissimis fidei, videantur pronuntiata, ut de justificatione E. 9. Rom. 3. 28. & Jac. 2. 20. tum profundissima rerum abscondita-rum ab humano sensu non rarò mysteria: difficultas sese, tam in sensu certo determinando, quàm in recondita veritate eruenda, non exigua offert, ideóque Deus Pastores Doctoresque in Ecclesia constituit, qui acceptam à Magistris suis doctrinam, partim ad Theologiæ studiosos in scholis docendo, partim, in templo ad concionem populi dicendo transfunderent. Hæreticorum solum proprium est spreto aliorum magisterio suo judicio ex Scripturis S. credenda definire. Unde D. Petrus 2. Ep. c. 3. de interpretatoribus Epistolarum D. Pauli loquens: ait, *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, ad suam ipsorum perditionem* Quod perditionis discrimen utique in rebus fidei intellectu difficilibus adiêre: cum in cæteris non posset timeri perditio.

IV. Respondeo igitur: I. Licet Scriptura S. utilis sit ad omne opus bonum, non est tamen se sola ad universam rationem fidei, in necessariis ad illam articulis, definito sensu sententiaque declarandam, sine doctoribus veris, semper sufficiens: ut manus hominis ad omne opus utilis, non tamen, sine abhibitis instrumentorum præsidiis, semper est sufficiens. Ratio in promptu est ex eodem Apostolo 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco &c. hoc primùm intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit.* Et verò sæpe fieri hæc declaratio sensus determinati sine interpretatione Doctorum Ecclesiæ non potest: cùm nec à Scriptura S. definitum sit, quæ sententia ad alterius definitionem sit adhibenda; nec collatis etiam in unum locum constructionibus verbisque de eadem re omnibus, adeò definita emergat sententia, quæ non à diversis sibi contradicentibus in diversos possi-

biles

biles sensus, probabili aliqua ratione, abstrahatur : ut in plerisque hodiedum controversiis manifestum est. At quando probabilis, utrimque ratione disceptatur, nihil potest in sensu uno necessario esse certum ac definitum. A magistris igitur Doctoribusque de certa veritate sententiaque S. Literarum instructis, disciplina hæc capienda est.

II. Adhærere sat tutò non possumus literæ, quia *litera occidit, spiritus autem vivificat.* 2. Cor. 3. 6. Sed cùm omnes penè hæretici iccircò sibi vindicent Spiritum Dei, quod verbum ejus scriptum sequantur; ideò autem hæretici sint, quod literam, aut proprium magis spiritum sequantur, quàm divinum : hinc ab ipsa S. Scriptura de his agnoscendis instruimur. *Qui novit Deum, audit nos* : (Ecclesiæ Doctores, non solos Apostolos, quia hi jam omnes, præter Joannem erant defuncti) *qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris* 1. Joan. 44.

III. Qui solam in rebus controversis definiendis scripturam vult audire judicem, hic Scripturam S. disertissimis in locis sententiisque aspernatur. Quid enim à scriptura apertius dici potuit, quàm cum in obortis controversiis admonet. *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* Math. 18. Ita factum Luthero primum obstrepenti, cum ad Ecclesiam provocatum est, quam audire detrectavit vano scripturarum, & divinæ veritatis obtentu. Ad hanc verò *quæ columna & firmamentum veritatis est*, cùm se nollet inclinare, miserrima se suosque sectatores ruina præcipitavit; & scripturam S. deseruit, cùm hoc pacto sequeretur. Iterum quid clarius illo Pauli 2. Thessal. 2. pronunciato est, *State & tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam* : ubi scriptum non scripto Dei verbo oppositum, tam vivæ in Ecclesia vocis oracula, quam legis scriptæ traditiones audiendas tenendasque esse declarat. Unde D. Augustinus tom. 7. contra Crescent. l. 1. c. 31. *Quamvis*, ait, *hujus rei certè de scripturis Canon. non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum, etiam hac re, à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universa jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat autoritas &c.*

IV. Promissum Ecclesiæ Dei est, quod cum vocali atque ex ore Doctorum palato verbo Spiritus Dei permansurus sit : Isa. 59. 21. *Spiritus meus qui in te est, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, & quæ*

usque in sempiternum. Ex ore igitur docentium non minus certo, quam ex mortua scripti verbi litera Spiritus veritatis hauritur. Brevis hic, sed omni arte adversatiorum indissolubilis nexus est.

Ex hac verò responsione nostra Steinbergius, & quivis facilè Protestantium intelliget, quantò nos verius Scripturam S. veneremur & audiamus, quando Ecclesiæ Pastores Doctoresque ab illa nobis commendatos sequimur, quàm adversarii, dum solius sese scripturæ judicio, non te, sed voce farentur acquiescere. Ideoque sola etiam scriptura per agitatas hac ætate controversias, magis nobis Dux auctorque, in nostris de fide articulis sit, quàm Protestantibus, ut interea taceam, quod meris solisque etiam scripturæ verbis adhærendo, plus nobis, quàm Protestantibus ex illa præsidii, in singulis quibuscunque fidei articulis relictum sit. Ut vel ex illo solo argumento liquidissimum est, quod ab exordio Reformationis suæ hucusque nec unus quidem unicus Confessionis ipsorum articulus, per quem nos definito in sensu reforment, productus fuerit. Et Steinbergius nuper, homo cetera ad scribendum disputandumque projectissimus, probbrosissimam illam Semani in Epidoro desperati hæretici notam sustinere mutus, obsatrante conscientia deficientis probationis, cogatur, quam his verbis inussit pag. 16. v. 17. *Da, toties rogatus, ac nunc etiam ultima detestatione pertinacissimi haretici, ni faxis, execratus, definitionem aut demonstrationem ex Scriptura S. qua absolvat plenonecessarioque judicio hanc ambiguam de Cœna sententiam. Hoc P. Reid primo disputationis principio, hoc ego in Strena, & nunc etiam, ut opinor, hac re te cum ultimò peto, flagito, exigo. Detestabilis Deo hominibusq; es futurus, nisi te tuosq; desederis. Et qui omnibus necessariis fidei articulis scripturam in se sufficientē esse judicem adstruis, id vel in uno unico eviceris, aut, manifestè de errore convictus, resipueris.* Obsecro, te Steinbergi, quâ fronte, & conscientia hanc notam sustines? Tu Geneva, te Herbornam ad illius Academiæ decus gloriamque tuâ eruditione augendam evocatum non obscurè profiteris. In hac igitur decretoria pugna, si te tuosque destituas, si communem Reformatorum causam deseras, manifestum errorem hæresinque Protestantium tuorum confiteris.

Ita videlicet est, (audite Protestantes universi, quæ hoc loco, pro salute animæ vestræ, & tot mortalium aberrantium, ex scientia conscientiaque certâ proloquar) succumbitis hic pleri-

que non ignorantiâ cauſæ veſtræ, ſed manifeſta veritatis defectione. Vos hic coram Deo omnes rogo obteſtorque, qui ſolam Scripturam S. ſtatutis Reformationis veſtræ principium, normam, teſtem, judicem: aut dare per ſingula Confeſſionum veſtrarum, quibus nos reformatis, definitivam ſcripturæ, citra verba hominum, (quæ poſſunt fallere) ſententiam; aut ſi non dederitis, agnoſcite defectum, atque errorem corrigite. Quam obſecro quondam coram ſupremo Judice, veſtræ ſeparationis rationem daturi eſtis, ſi ad hæc tam æqua poſtulata, hic confuſi, & deficientes obmuteſcitis? Ad ſcripturam provocaſtis Judicem, ſcriptura vos condemnabit, *qui Eccleſiam non audierit, ſit ſicut Ethnicus & Publicanus.*

V. Reſpondeo II. Proteſtantes ipſimet fatentur, quod in obortis de Scripturæ S. ſenſu ſententiaque controverſiis Eccleſia potius, ejusque Doctores, quàm quivis privatus audiendus ſit, licet pars utraque non aliud præter purum putumque verbum Dei ſe amplecti ex conſcientia proteſtetur. Ita apud DD. Walenburgicos de Unit. Eccleſiæ l.7.c.19.n.6. Gerardus Titius Luther. *Sicuti*, inquit, *bene conſtituta quadam Academia, ſi aliquem è Doctoribus in Philoſophia, aut Medicina erroneum deprehendit, interdicere illi ſolet publica doctrina: ita erroneo alicui Anabaptiſtico, aut Sociniano Proteſtantium Eccleſia faciet. Et ſicuti eo non obſtante, quod Philoſophus v.g. aliquis, qui erroris recta diſputandi ratione convictus, ex pertinaciâ centies cauſetur ſe media diſputandi & interpretandi, quæ cum adverſariis ſuis habeat communia, rectè adhibuiſſe; ſani Doctores rectius ſibi conſcii, nihilominus meritò ejus doctrinam repudiabunt* &c Caſparus Streſo Calvin ibid. c.16. n.4. *Non poteſt excuſari ab hæreſi, qui quemcunque errorem Eccleſiæ definitioni contrarium pertinaciter tuetur.* Et l.6.c.10.n.7. ait Crocius, de articulis fidei ab Eccleſia propoſitis. *Ad omnes*, inquit, *ſic adſtringuntur, ut nihil moveant contra illos autoritate privata, ſi in externa Eccleſia & quidem miniſterii publici communione omnes manere velint.* Jam ſubſumo; at ſemper ejusmodi in fide contradictores Eccleſia ſuſtinuit, *oportet enim hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant.* Ergo & Eccleſia orthodoxos Doctores Paſtoresque (ſine quibus muta fuiſſet) habuit, qui veritatem contra hæreticos tuerentur. Nam ſola Scriptura S. cujus pars quælibet ſibi venditabat ſententiam, hanc ſine his litem non poterat terminare.

II. Proteſtantes fatentur ſupra c.4.n.4. Doctores Paſtoresque

quæ Ecclesiæ, ad finem mundi propagandæ, esse necessarios. Et c. 3. necessarium etiam esse ministerium verbi. *Non aliam*, ait, Melanchthon in loc. Com. de Ecclesia p. 488 *Ecclesiam invisibilem, & mutam hominum in hac vita tamen viventium; sed oculi & mens cœtum vocatorum, id est, profitentium Evangelium Dei, intueantur, ut sciamus oportere inter homines publicè sonare Evangelii vocem, sicut scriptum est: in omnem terram exivit sonus eorum.* Rursum subsumo. At si per se sufficiens S. Scriptura ad mentem Dei omnibus exponendam fuit, nulla tanta, & Doctorum, & ministerii esset necessitas. aut si qua esset, ratione tradendæ conservandæque in Ecclesia scripturæ, longè major de sensu esset, quàm de litera.

III. Protestantes agnoscunt, quod Romano Catholici nullam à suis fidem exigant, quæ nitatur autoritate humanâ loquentis Ecclesiæ ejusve Doctorum; sed, in divina fide, autoritatem semper requirant revelati verbi Dei, quod suis proponit Ecclesia; sed afferant: magis esse credibilem sensum, quem de verbo Dei format, proponitque Ecclesia, quàm quem format proponitque sibi, aut aliis credendum, quivis privatus: cui illa divini spiritus (quæ Ecclesiæ promissa est) assistentia nequaquam favet. Ita Eilbrachtus in Epanorth. c. 10. p. 59. fatetur: *Papistas non tribuere Ecclesiæ majorem authoritatem, quàm verbo Dei; sed tantum in quæstionibus controversis Ecclesiæ sententiam præferre opinionibus privatorum.* Quo, ipse nostrarum, inter quos vixerat, legum gnarus, rejicit calumniam, quâ nobis imponitur, quod humanis Papæ & Conciliorum decretis, tanquam divinis fidei articulis assentiamur. Neque enim credimus, quia Papa aut concilia dicunt; sed quia Deus dixit, hoc quod illa nobis proponunt. Deindè admittit quoque Eilbrachtus, quod ab iisdem in conscientia obligemur ad obsequendum legibus Ecclesiasticis, additque, *etiam orthodoxos* (intelligit Protestantes) *concedere, quod Ecclesia habeat potestatem condendi leges de ceremoniis. Et quosdam inter illos constituere, quod civiles leges obligent in Conscientia. Calvinum verò fateri: si de civilibus legibus id concedatur, etiam de Ecclesiasticis concedendum esse.* Rursum igitur subsumo. At ejusmodi verbi divini propositio decretaque Ecclesiæ, inter dissentientes partes, & dissolutos multorum Christianorum mores necessaria sunt, ut illius unitas concordiaque servetur, ac propagetur: neque sola & muta ad hoc præstandum scriptura sufficit. Ergo in Ecclesia

Eccleſia perpetuò duratura Paſtores Doctoresque fuere neceſſarii.

Verùm, inquies, quid ſi Eccleſiæ non privatus quiſpiam, ſed alia ſe quoque opponat Eccleſia, quis hic ſenſum controverſum definiet, ſi id Scriptura non poſſit? *Reſp.* ex hypotheſi, quod utraque ſe diverſo Scripturæ S. ſenſu tueatur, neque alterutra definitam illius ſcripto Dei verbo exhibeat ſententiam, oppoſitisque tantum illationibus pugnent, quæ vix aliæ, quàm probabiles eſſe poſſunt, ſcriptura utique non poterit definire ſententiam. Quare vel 1. ad originem cauſæ reſpicienddum eſt, quæ ſi malis principiis ab altera ſit parte cœpta; ut fit, cum unus ſe primùm objicit Eccleſiæ, uti Lutherus de ſe fatetur, quod *primus ac ſolus fuerit*, error ſatis, & dijudicatio cauſæ manifeſta eſt. Licet enim alii deinde accedentes inter ſe aliquam ſectariorum Eccleſiam fecerint, tamen malam hæc acceſſio cauſam non mutavit; & facile patuit, qui exierint, & à quibus ſchiſma ſit inchoatum: quales manifeſtè ab ipſa etiam ſcriptura damnantur. Vel 2. ad jus receptamque prius legem doctrinamque eſt attendendum, ſic orientalis Eccleſia, cum olim Romanæ fuiſſet adjuncta Eccleſiæ, ejusque primatum in Conciliis, Epiſcopisque ſuis, tum excommunicandis, tum reſtituendis agnoviſſet, jure erroris, dum repugnat receptæ legi, arguitur. Vel 3. ad magiſtratum aliquem Eccleſiæ eſt recurrendum, quem in ipſa praxi Proteſtantes admittunt. Vel 4. inveſtigandum num quod traditum Dei Verbum, præter ſcriptum, in Eccleſia ſit adſervatum. Quas nos alibi quæſtiones in 3. part. Medit. Concord. abundè definimus. Faciliorem tamen præter hæc exitum infra de capite Eccleſiæ oſtendam.

VI. Reſpondeo III. Cum uſque adeò Scriptura S. ad definiendas terminis expreſſis contra hæreticos controverſias ſufficiens non ſit: ut nec recepti quidem ſymboli Apoſtolici articuli certa vel ex ſe, vel ex Verbo ſcripto definiri, abſolvique ab omni lite poſſint ſententia, ut de perſona Chriſti, de illius præſentia, de Spiritu S. de Eccleſia ejusque membrorum ſanctificatione notum eſt, quæ tamen pleraque gravis omnino ad religionem conſenſionemque in fide ac charitate momenti ſunt, manifeſtum eſt, ad ejusmodi definitionem ſententiarum alio Verbo Dei non expreſſo (niſi quis perperam humanis verbis divinam fundare fidem velit) opus eſſe, ad hoc verò tradendùm poſterius, conſervandumq; in Eccleſia Paſtoribus Doctoribusque

que opus juxta esse, quis jure inficiabitur? Et sic facilè hanc veritatem evinco. Ubi scriptum Verbum Dei, ad sententiam expreßè in controversiis definiendam, non suppetit; illic vel tradito Dei Verbo, vel certis ex Verbo Dei scripto conclusionibus deductis opus est. Sed neutrum sine orthodoxis Pastoribus Doctoribusque fieri poterit, ergo hos in Ecclesia existere necesse est. Non illud, quia ut Verbum Dei tradatur, simulque desint, qui tradant, apertè implicat: nec hoc prudenter dixeris: cùm Theologicas infallibili veritate conclusiones deducere ac tueri, non nisi Doctorum, aut Theologorum sit. Quare provolantem olim in arenam jactabundum hyperaspisten Honoratum, suosque scripturas ingenio ventilantem, Augustinus jure perstringit tom. 6. de utilit. cred c. 7. *Cum legerem* dicebat ille, *per me ipse cognovi. Itane est*, respondit August *nullà imbutus poetica disciplina Terentium Maurum sine magistro attingere non auderes &c. Tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen divinarumque rerum pleni, prope totius generis humani confeßione infamantur, sine duce irruis, & de his sine praeceptore audes ferre sententiam?* Vide quæ ad hanc rem disserui Medit. Concord. p. 5. art. 5. §. 6. & seq. Quid si idem Augustinus hominem rudem de trivio illud sibi spectasset vendicantem, quod modo cuilibet de fece etiam suorum Protestantes faciendum præscribunt, ut suos Doctores totamque Ecclesiam ex S. Literis dijudicent: rectène illas an perperam interpretentur? qua oratione talem à sancto viro incipiendum crederes? Quid si etiam talis arbiter legendi imperitus (ut integris turbis reperies) quem ille sine veris Pastoribus Doctoribusque reperiet exitum? quomodo sacra à profanis distinguet, necessarios fidei articulos à non necessariis dirimet? quid si pro ductoribus se offerant seductores, quo ingenio judicioque, nisi per synceros Doctores instructus, discernet? Profectò qui tam absurda comminiscuntur, omnem de humano genere rationem abstulisse videntur. Sed diverso capite hac de re paulò explicatius erit disserendum, ut Protestantes intelligant, quàm extria is à Romanis dissidio separentur.

CAPUT X.

Quando Proteſtantes à ſcripturâ expreſsâ in articulis fidei ad interpretationem ejuſdem provocant, oſtendunt veros ſemper in Eccleſia Doctores fuiſſe neceſſarios. Quæ ex Spanheimio Heildel. Theologo Scripturarum interprete, cum illius refutatione, evincuntur.

I. VT fidei divinæ veritatem Proteſtantes ex rectâ Scripturarum interpretatione aſſequantur, rem adeò difficilem exigunt; ut ſine perpetuâ Doctorum Paſtorumque rectè ſentientium cura, hæc nequeat obtineri, vulgusque hominum ad illam capiendam inſtrui nequaquam poſſit. Rem hanc oculis certiſſima demonſtratione expono, quâ ſolâ videre ſuum & veluti palpare Adverſarii errorem queant.

Poſtquam in Meditata Concordia, Confeſſionem Romanæ Fidei ex ſolis Scripturæ S. verbis, quod poſtularunt hactenus, exhibui, poſtquam eorum quoque Confeſſiones ex ejusdem Scripturæ verbis obvio uſitatoque in ſenſu acceptis (ne perverſæ interpretationis argueter) reformavi, pro gratia facti, quòd ex illorum principiis, amicæ compoſitionis cauſa aggreſſus ſum, contumeliis petor, & velut improbè incitæque tentatæ Concordiæ reus arceſſor. Quid ergo? quod meum delictum? Provocavi illos ad claram expreſſamque ſcripturam, in articulis fidei exhibendam, quaſi verò ipſi hanc ita ſibi vendicent, ut interpretationem, ſive expoſitionem per aliam ſcripturam non admittant, aut per concluſiones inde deductas fidei ſuæ non tueantur ſententiam. Illa ſibi ad defenſionem arma relinqui nimirum volunt. Interpretationem & Conſequentiam. Ita ex Wittenbergenſi Academia contra me Schlaffius, ex Heidelbergenſi Spanhemius, ex Herbornenſi Steinbergius, vellicatores non oppugnatores concordiæ.

II. Accipimus & hanc, ſi ita volunt, conditionem; ſed ea lege, ut & nobis liceat, quod ſibi vendicant, & ſi interpretationes ac conſequentias tales demus, quales olim SS. Patres ex iisdem S. Literis dederunt, tunc præferamur, ut antiqui recentibus, ut Apoſtolicis juncti ſedibus, heterodoxis, ut hæredes alienigenis, quos certa non doctrinæ tantum, ſed & Doctorum ſucceſſio, perpetua traditio, poſſeſſio non interrupta, præſumpto rationalis, conſenſus, ratio, & æquitas anteponit.

Verùm

Verùm axioma illud Protestantium; *quidquid ad salutem creditu necessarium est, hoc clarè, perfectè, pleneque in S. Literis contineri*: retractandum erit. *Cum* tamen, ut loquitur Chemnitius part.3. Exam. Conc.Trid.p.217. *Loca illa Scripturæ, in quibus articuli suam quasi propriam sedem habent, necesse sit aperta, plana, & manifesta esse.* Sed quomodo aperta, plana, & manifesta esse possunt, illa fidei dogmata, quæ per adversarios tanto opere studioque ex collatis inter se textibus linguarum originalium, ex sensibus sententiisque tot ambiguis, ex locis scripturarum tam diversis, nec quidem una omnium interpretatione aut consequentia eruuntur. Ex Corpore Confessionum fidei Genevæ Anno 1654. edito in Confess. I. generali p.1. c.1. dicitur: *In Scriptura S. habet universalis Christi Ecclesia plenissimè exposita, quæcunque pertinent cùm ad salvificam fidem, tum ad vitam Deo placentem rectè informandam.* Si plenissimè exposita, otiosæ prorsus ac supervacaneæ sunt tam operosæ multorum expositiones; aut si otiosæ non sunt, plenissimè hæc non sunt exposita. Quanta contentione Frider. Spanhemius Professor Heidelb. Matthæum in iis scripturæ locis, quæ fidem tangunt, antiquitatem eruderat, originales textus excutit, omne syllogizandi artificium tentat, ut suis eum opinionibus conciliet; an non vanus labor iste, si aperta, plana, manifesta, plenissiméque exposita sunt in scripturis omnia, quæ fidem moresque excolendos spectant? An fortè tales, qui nec à vulgo hominum intelligi possunt, nec inter doctos sæpe aliter, quàm ex antro Phœbi loquuntur, tam manifestis plenissiméque expositis scripturis manifestiora & explicatiora dare poterunt? Apage igitur his aliisve à scriptura interpretibus, ne invexisse in hanc tenebras, non abstulisse videamini. Sol non eget ad sui illustrationem fumo renuique radio lucernarum: aut si has, ut facitis, admittetis, confitendum simul erit: solem vobis non lucere in meridie; scripturam claram sine his interpretibus, vos latere, hoc est eandem in fidei vestræ articulis claram esse & obscuram, apertam & tectam, planam & abruptam, plenissimè expositam, & expositionis egentem.

III. Iterum pinguis, palmariæque fraudis ac deceptionis Ministrorum vestrorum palinodiam hoc loco exigo; quâ statuunt, *quemlibet non modò doctorum hominum, verum & vulgarium ex Scriptura S. tanquam controversiarum religionis Iudice, suos Pastores, Theologos, interpretes atque, universam Ecclesiam debere judicare; rectène an perperam, in ejusdem scripturæ*

expositione versantur, *& necessarios ad salutem fidei articulos proponant.* Deum immortalem! Tantamne vel amentiam, vel perversitatem cadere posse, in homines communi nobiscum & scriptura & ratione utentes? Ergone lippis & tonsoribus lotricibusque fas erit ex scriptura contra integram quoque Ecclesiam, ubi certatur, utra partium rectius sacras literas interpretetur, divinoque se verba conformet, dicere sententiam?

Quale hic rursum cacoethes! Si enim scriptura in fidei articulis tam aperta disertaque non est, ut expressam de rebus fidei sententiam pronuntiet, sed per interpretationem & conclusiones hæc veritas elicienda est: hoc credo aliquis, aut à fuso anus contra annosos Theologiæ Magistros; & Barbaros ex cathedra Ministros aut possit, aut moliatur? & nisi hoc ex S. Literis fecerit, de fide in ambiguis nequeat possidere securitatem? Quis ejusmodi homini originarii textus claustra latebrasque aperiet? quis & symbolicorum & in speciem pugnantium totâ scripturâ locos colliget? quis dissonantes concordabit, concordes ordinabit? antecedentia cum sequentibus ubique vinciet? illustrabit ex clarioribus obscura? sedes proprias cujusque dogmatis investigabit, alienas discernet? Quis statuet, ubi literali, ubi tropico figuratoque sit sensu loquendum? quid juxta S. Literas ad fidem necessarium, quid abundans?

IV. At respondet, idcirco Ecclesia Ministros habet & Doctores qui vulgo suis ex fontibus locisque scripturam recto ordine sensuque promant, ut spiritu divino regente intus, hi foris quoque docendo dirigant. *Quanquam enim* (verba ejusdem Confess. sunt l. c.) *nemo veniat ad Christum nisi trahatur à Patre cœlesti, ac intus illuminetur per Spiritum S. scimus tamen Deum omninò velle prædicari Verbum Dei etiam foris. Qui enim intus illuminat donato hominibus Spiritu S. idem ille præcipiens dixit ad discipulos suos, ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ. Idemque Paulus collocata gradatione eleganti ad Rom. 10. tandem infert. Ergò fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.*

Accipimus & hanc tam veram manifestamque hac in parte Confessionem, prædicatio Apostolica, hoc est, ab Apostolis eorumque successoribus, profecta, *omni creaturæ* promissa est. Et si fides perpetua (ut omnes fatemur) à Christi temporibus ad nos usque incorruptè est propagata, (attendite quid cum Paulo concludam) fuit utique per Doctores Pastoresque in Ecclesia perpetuos & incorruptos conservata. Eph. 4 *Nam fides ex auditu, auditus*

auditus autem per verbum Dei. Quomodo autem audient sine prædicante? & quali prædicante nisi incorrupti verbi Dei quod fidem generet, non verò corrupti, quod suadeat perfidiam? Quocunque se hic vertant Protestantes apertissimè convicti sunt, & S. literis, quas proprio in sensu tradunt venerari, & confessione sua, quam nequeunt inficiari, & ratione firmissima, de necessitate erudendi ad scripturarum intellectum & orthodoxam sententiam vulgi, citra quam nō possunt veritatem assequi.

§. V. Sed hic alterum quoque nobis concedant necesse est. Ejusmodi de trivio homines, præsertim legendi imperitos, qui suo ingenio universa ad rectam scripturarum interpretationem, & formandas ritè illationes penetrare, in articulis ad salutem requisitis nequeunt, necessariò debere Prædicantibus fidem adhibere, de rectè per interpretationem & consequentias proposita Verbi Dei sententia. Quæ cum fallibilis sit, upote per fallibilem Prædicantium collationem & illationem formata, manifestum est, tales homines non habere pro norma infallibili Verbi Dei sententiam. Nisi suis ipsis Theologis perspicaciores, Verbum Dei à verbo hominum, errorem à veritate possint discernere. Quod tamen si faciant, ad aliquam sibi perspicuam Verbi Dei, extra ministrorum interpretatioem, cognitam normam, cogentur exigere. Quidquid enim à ministris errori obnoxiis possidetur, errori semper erit obnoxium. Unde sequitur rudissimos quosquè Protestantium, supra perspicacissimos quosque Theologorum suorum debere sapere ac scripturæ penetrare sententiam, quia ex hac illorum interpretationem & consequentias tenentur examinare, planè ridiculi examinatores futuri, si examinandis sint imperitiores, & tanquam asini sedeant pro tribunali, ut de equis feratur judicium. Hoc dilemmate rem conficio. Aut vulgus fidelium ex eadem Scripturæ S. sententia, quam Theologi per interpretationem, & illationem proferunt, suos dijudicat Theologos, aut per aliam ab ea diversam. Non prius, quia idem suiipsius non potest esse regula, dirigi simul ac dirigere, judex esse & res judicata. Ergo posterius necesse est fateri, simulque admittere & Doctoribus Ecclesiæ indigere rude vulgus ad discendam verbi Dei sententiam, & sine his eandem assequi, esse simul ignarum, & suis tamen Doctoribus doctius: corrigi & suos corrigere in erroribus magistros. En miseram delirantium vertiginem! Et quis est, cui parum salis in pectore, qui tantam stupiditatem judicantium ex scripturis non rideat? Ipsas ego etiam hic doctissimorum hominum

minum conſcientias interrogo; an vel illi ſibi adeò omnem, in ſententiis de fide, Scripturæ S. receſſum, omnesque ſanæ interpretationis regulas ita perſpectâs eſſe ſentiant, aut ſi notæ ſint, ita à ſe obſervari præſumant, ut ex hac quemlibet ſuorum Theologorum tutò dijudicare poſſint, & ſine erroris periculo arbitrari, rectêne an ſecus ſuis è fontibus & ſedibus locorum propriis aliis adjunctis, orthodoxum verbi divini ſenſum depromant: Et quo demum ex capite ſecuri eſſe queant, niſi nobiscum ad Eccleſiæ non fallentis judicium denique accedant?

VI. Potiò quia D. Spanhemio ſagaci ſcripturarum interpreti in ſuis Vindiciis Biblicis Meditata hæc mea Concordia bilem nonnunquã in ipſa præſertim Dedicationis Epiſtola, in naſum concivit, illius hic ego quoque & ſcientiam & conſcientiam, coram Deo Judice ac Vindice religionis non verebor obteſtari; ut, ſi is vir eſt, qui veritatem amat ac tuetur, ediſſerat ſaltem breviculo unius philyræ chartaceæ teſtimonio, num in totis ille S. Scripturarum Vindiciis, vel unam repererit per interpretationem & conſequentias integram abſolutamqueS. Scripturæ ſententiam, quâ apodicticè definitéque ita vel articulum noſtræ fidei damnet, vel ſtabiliat ſuæ, ut ex illa tanquam norma fidelis quilibet dijudicare veritatem & damnare errorem ultimò poſſit? Si repererit, iniquus erit, ſi tantillum officium bono neget publico, qui integra huic etiam volumina conſecravit: ſi non repererit, nec dederit cauſæ diffiſus imbicillitati, orbi ſeſe univerſo impoſuiſſe ſpecioſo ſcripturæ *S. mangonio* (ſic me loqui docuit) teſtabitur. Videbimus denique uter noſtrûm rem verius egerit: illéne, qui in omni ſenſuum ambiguitate expoſitis per varios eosque doctos interpretes divini eloquii verbis, hoc denique efficiſſe viſus eſt, ut Scripturæ S. jam nulla amplius fides certa, ex privata expoſitione, haberi poſſet, quæ tam variis diſſonisque ſententiis per ipſum, collecta neſcio an diſtracta eſt: an potius mihi aſſentiendum, qui ſine ulla vi, proprio ſcripturam, aut certè obvio, in ſenſu, jam per tot ſecula ante Calvinum Lutherumque in Eccleſiâ uſurpato, Patrumque teſtimoniis, & minimè dubia tot diverſarum gentium traditione ſubnixo, uſurparim? Ipſos ego Proteſtantes hac in cauſa non vereor admittere Judices, ſi medios ſeſe rei hujus arbitros dignentur conſtituere: ut ex clara Scripturæ ſententia, quæ illis norma controverſiarum eſt, dijudicent; meamne, quam in Confeſſione fidei dedi, an Spanhemii, quam in Vindiciis ſuis exhibuit interpretationem veriùs propiusque in S. Literis expreſſam

pressam reperiant? Certè Lutheranos ex verbo Dei judices, non uno in loco, ut e.g. Matth. 12. v. 44. & 45. uti & c. 13. v. 12. 14. 20. 21. 29. &c. suffragatores memet habiturum confido: qui tamen ex eadem cum Spanhemio Scriptura oppositum conficient. An igitur, ut assentiar sibi (nisi nimium se amet) præ aliquo Gerardi, quem doctissimum prædicat, jure postulabit?

VII. Deinde ex eodem Spanhemio requiro, ut vel in uno loco abundè per se symbolizato, perque omnes Syllogismorum formas exercitato, aliquam religionis suæ sententiam perspicuam extorqueat, quæ natam ab utraque parte controversiam sufficienter dirimat: certóque constituat, quænam illa tam clara scripturæ sit regula, ad quam, tanquam veritatis normam, ejusmodi, quam promit, locorum interpretationem quivis fidelis expendere teneatur; ut obliqua, an recta interpretationis Spanhemianæ sententia sit, abundè constare queat. Et num illa ipsa hoc sit, quod Spanhemius producit interpretamentum? Quod si dicat ex eadem, quam ipse profert scriptura se suamque interpretationem dijudicandam, jam in divisa interpretis sententia, hinc verba hominis, illinc scripturæ, neutra vel integro, vel geminato certè sensu, & distinguenda erunt, & inter se conferenda, tam ridiculo quam implicato (ut cuivis patet) negotio. Nec in Areopago talis causa Judicem reperiet.

VIII. Denique quæro, quâ ipse passim confidentiâ, per scripturam aliam scripturam interpretetur, priusquam demonstrarit, talem à Spiritu S. ad alterius expositionem esse destinatam? Prætetea quâ mente inter plures, quos agnoscit, scripturæ sensus, illum solum esse verum determinet, quem suæ intelligit opinioni suffragari, antequam hunc unicum à Spiritu Dei in S. Scripturis loquenti intentum esse, ejusdem Scripturæ contestatione evincat? hoc enim ex solo velle ratiocinio colligere, debile est patrocinium, & manifesta fraus hominis ad solius verbi scripti claram sententiam provocantis. Si veritatem salutemque amet, mecum obvio in sensu Sanctorum Patrum testimoniis firmato subsistet, habiturus ubi tutò pedem figat, alibi in lubrico collocandum. Illa interpretantium varietas, certum nobis argumentum est: Protestantes nihil sua in fide habere certum.

IX. Magnum igitur res nostra Catholica ex his Spanhemii Vindiciis habet adjumentum, optandumque ut sic porrò per omnes scripturæ locos, hac ætate controversos, sese effundat.

1. Enim ostendit in tanta interpretantium varietate, cui & ipse

ipſe pro augendo numero novus Hermes accedit, nihil poſſe ex ſola Scriptura S. fixum certumque obtineri, niſi nobis cum illa veteris & traductæ ad hunc uſque diem Apoſtolicæ Eccleſiæ ſenſu conſiſtamus; cum hac enim *Spiritum veritatis manere in æternum* certò tenemus.

2. Oſtendit vel ſe ipſum errare, vel illos, quos contra ſe adducit univerſos, adeóque tot SS. Patres, tot retrò ſecula, quæ oppoſitam Spanheimio paucisque Symmyſtarum ſententiam tuentur. Quibus obſecro, ſi illum ipſum in conſilium advocem, autor mihi ſit, ut aſſentiar? In plana ego pleniorique & magis perſpicua, quàm adverſarii dare poſſunt, Scripturæ S. Confeſſione, Catholicorum magis, quam Proteſtantium ſententiam relucere video, & qui poſſum pro his adverſus illos, ex ſola etiam Scriptura, tanquam norma veritatis concludere? Det mihi aliisque hanc operam, & remotis interpretationis humanæ verbis, ex tam clara nobis quam venditant Scriptura Proteſtanticæ Confeſſionis articulos depromat: priusquam ex ſola poſtulet Scriptura aſſenſum.

3. Cum ex illa interpretantium diverſitate plerosque falli neceſſe ſit, quo pacto ſecurus eſſe Spanhemius poterit, rectæ ſe ſolum, aut cum paucis regulas interpretationis eſſe aſſecutum. Et ſi nec ipſe rationabili hoc de ſe aſſenſu affirmare poſſit, quo pacto ipſi ego fidem habeam?

4. Oſtendit vix reperiri in S. Literis tam clarum perſpicuumque ad fidei articulos probandos locum poſſe, qui adeò definiti ſenſus ſit, ut plures interpretationes admittere nequeat, atque icciico neque idoneum eſſe, qui rerum credendarum norma ſit, & ex quo certum definitumque in articulis religionis controverſis feratur judicium.

5. Oſtendit non vulgaribus ſolum hominibus, ſed nec mediocriter quidem doctis fas eſſe in articulis fidei controverſis ex Scriptura S. Doctores Miniſtrosque ſuos, multoque minus totam dijudicare Eccleſiam, illorumque ſententiam cum ſcriptura tali componere, ideoque omne his jure eripi à ſcriptura judicium. Quis enim iſtorum tot tamque varios abſtruſosque, quot Spanhemius perſequitur ſcripturæ ſenſus, contraque tot interpretum fallacias & aberrationes ſe ingenio judicioque diſcretivo complecti & aſſequi poſſe ſperaverit? quæ tamen niſi teneat, & digna comparatione ponderet, temerarium planè examen inſtituet, & tanquam cœcus de coloribus judicabit. Doctoribus igitur ſuis ultimo credat & innitatur

innitatur necesse est, qui si fallantur (ut falli possunt) fallerur & ipse.

Postremò ut plura alia dissimilem, ostendit (quòd huc maximè facit) ex Scriptura S. sine certa interpretum & Doctorum fide diu in Ecclesia religionem orthodoxam conservari nequaquam potuisse, cùm enim in articulis ad fidem necessariis tantam semper Ecclesia ab hæreticis per Scripturam impugnantibus persecutionem sustinuerit, nisi à Doctoribus vulgus Fidelium ductum propugnantiumque fuisset, ab *omni vento doctrinæ circumferri* (Eph 4.) pessundarique necessum erat. Quando in tam vasto sententiarum divini verbi Oceano, claritas illa à Protestantibus promissa tot novitiis interpretum commentationibus discerpitur atque obscuratur. Et quem obsecro vulgus fundum reperiat, ubi tot *Doctorum nantes in gurgite vasto, cernuntur tabulæ*?

X. Hæc universim suffecerint, ut Spanhemius intelligat, quantum toto opere à veritate & scopo suæ religionis propugnandæ deflexerit, quantumque in hac causa nobis præsidii attulerit. Equidem si Spanhemium pro suo animi sensu candidè proferendo adjurare possem. Primò ex illo sciscitarer, an non confideret, se longè majori plausu nostram ex Scripturis S. fidem sententiamque producturum, suasque infracturum partes, ubi pari sese studio ingenioque ad illas infringendas accinxisset? Nec dubitarem, si præoccupatâ mente tantisper sepositâ, sensum explicaret, id ipsum non gravatè facturum. Secundò quærerem, an cùm meas aliquot locis, de purgatorio imprimis igne, ubi minùs validè pugnare nos sentit, produceret sententias, neque tamen illas interpretatione alia, aut solida consequentia, infirmaret, religioni non fuerit, verbo Dei tam candidè obvio in sensu proposito vim inferre? Scripturæ opponi evertique Scriptura dignè non poterat, interpretatione humana non debuit violari. Sed jubebit me ad illas, quas aliis dedit Scripturæ interpretationes respicere. Non abnuam. Optarem tamen eum Scripturis minùs abusum. Illo quo me potissimùm urget, utar de pœnis purgantibus exemplo. Sic habet Matt. cap. 5. v. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Spanhemius lib. 5. l. 19. quos Christus divisim, & judicio, & concilio reos pronuntiat, hos ipse omnes, perinde ut ultimum, reos facit gehennæ ignis: eo solùm discrimine, quòd illos levius, hunc gravius, censeat ple-

ctendum, utpote, quos censet in mortifera omnes culpa pares, in gradu tantùm culpæ impares. Ita quod v. 25. dicitur: *Esto consentiens adversario tuo, &c. ne fortè tradat te adversarius Iudici, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem.* Et quod idem Evangelista c. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Et v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Iudicii*: Idem lib. 2. loc. 9. & 10. vult de carcere, & pœna æternæ condemnationis, cui etiam otiosi verbi reus addicendus sit, intelligi. Crudele fatum! & quibus obsecro Scripturis indubitanter probatum?

XI. Supponi ab autore duo video nunquam ex S. Literis evincenda. 1. Omne peccatum esse offensionem talem Dei, quâ repugnetur præcepto divinæ charitatis, ideoque reatus incurratur pœnæ æternæ, excipi tamen renatos, quibus culpa non imputetur, & cum pœna remittatur, adeoque per accidens ratione subjecti illorum culpam venialem censeri, ex natura tamen & genere suo letiferam. 2. Remissa culpa simul & pœnam tolli, neque hanc unquam temporariam, ob delicta jam donata, infligi.

Utraque hæc propositio à nostris Thologis, atque in illis Bellarmino, jam dudum falsitatis convicta est, ad quem remitto. Et cùm adversus rationem atque experientiam certissimam pugnet, manifestis Scripturis in eum quem adversarii fingunt sensum traducenda esset, quod nunquam factum, nunquam futurum est: quando sic nulla unquam Scriptura repetitur esse locuta. Distinguit Christus motum iræ in animo, verba indignationis, præter iram jacta, denique illatam nomini fraterno contumeliam. Et ratione nos Deus eadem distinguere docuit. Tradit Christus non solùm blasphemias in Filium & Spiritum Sanctum, verùm & otiosum verbum traducendum ad supremum Dei judicium, & manifesto hæc discrimine separat; cùm hic à gravioribus ad leviora, illic contrà, gradum faciat. Et rursum ipsa nos ratio doceat, verbum otiosum, licèt Deo, ut inutile displiceat, non mereri inflicta æterni ignis pœna à Deo puniri: nisi hic in Tyrannum, quovis Busiride immaniorem, transformetur. Demonstret igitur Spanhemius, me hæc Christi verba malè in obvio cuique sensu, & ex communi nobis insita ratione usurpasse. Demonstret traditionem Ecclesiæ Romanæ, tot ante Calvinum seculis hoc in sensu receptam, vanam esse.

esse. Demonstret SS. Patres hunc in sensum à me aliisque Scriptoribus adductos falli. Demonstret Protestantes ipsos cum temporarias peccati post hanc vitam à Patribus assertos tradunt ut part. 3. Conc. Art. 24. videre est, hallucinari. Demostret temporariam peccati in Davide remissi pœnam non fuisse puerum morientem. *Transtulit Dominus*, ait *Nathan, peccatum tuum : non morieris : veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini* (en peccatum, sed jam remissum) *propter verbum hoc* (en causam pœnæ peccatum admissum) *filius qui natus est tibi, morte morietur* 2. Reg. 12. demonstret temporarias à morte non subiisse pœnas *spiritus illos qui in carcere erant, quibus Christus veniens prædicabat, qui increduli aliquando fuerant in diebus Noë.* 1. Pet. 3. *quando descendit ad inferiora terræ & vinctos eduxit de lacu.*

XII. Porrò quòd non intelligat, quomodo offendi per veniale delictum Deus possit, non eversa charitate mirum est : si aliquando obmurmurante Costa sua, vel non opportuna loquente, offendi ipse potuit, non rescissa communi charitate. Hæsitavit ad aquas contradictionis Moyses, exclusus iccircò est temporaria à terra promissionis pœna, an verò Deus renunciavit amicitiæ?

Nimium verò crassè philosophatur, quando suorum renatorum peccata facit universè venialia, aliorum contra mortifera omnia. Ita enim verus Fidei Protestanticæ alumnus homicidiis atque adulteriis cum Davide pollutus, licet in iis suffocetur, veniale & levidense delictum, in quo cœlum adeat, admisit : Sed germanus papisticæ fidei cultor, licèt recens à Baptismo, otioso tantùm verbo offenderit, cetera innocens, in hoc moriens rectà infernum petiturus est. Amica fateor & favens Protestantibus Theologia ! Sed hæc eo quo Spanhemius in suis vindiciis progreditur artificio, levicula distinctione aut rejectione aliorum sententias refutando, neque suas, aut Scripturis manifestis, aut demonstrationibus invictis fundando, non stabilietur. O quantò consultius audire ac loqui illos Pastores Doctoresq; Ecclesiæ, de quib⁹ Paulus ad Eph. c. 4. αὐτὸς (χριστὸς) ἔδωκε τοὺς ποιμένας καὶ διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ- ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. *Ipse* (Christus) *dedit hos Pastores & Doctores ad conjunctionē Sanctorum, in opus ministerii,*

tii , in ædificationem Corporis Christi ne amplius pueri simus fluctuantes & circumlati omni vento doctrinæ.

Ubi tales sunt, fueruntque semper & audiuntur Doctore,sibi vera Ecclesia est. Subsumant jam Protestantes nobiscum si possunt, dicentque ; sed apud nos sunt fueruntque semper & audiuntur. Ergo, &c.

CAPUT XI.

Nec consequentiæ ex S. Scriptura diductæ , sine Ecclesiæ ejusque orthodoxorum Doctorum ac Pastorum definitione, in Fidei controversiis sufficiunt , & Catholici in his longè Protestantibus sunt potiores.

I. PRotestantes qui solam sibi Scripturam S. ad Fidem sufficere dictitant , hi cùm religionis suæ articulos , quibus Romanam Ecclesiam reformare , suamque adversus illam fundare moliuntur , expressis è Scriptura terminis producere nequeunt,tum ad consequentias ex verbo scripto ductas confugiunt, dicuntque non requiri à Scriptura, ut omnes individuales casus dijudicet ; sed sufficere ut ex S. Literis per legitimam consequentiam decidantur. Demus itaque hoc pacis & concordiæ gratiâ , atque ex solo scripto Dei verbo has nobis veritates clarâ demonstratione exhibeant. Verùm (prô dolor, an pudor dicam) cùm nec hac in parte queant ubique satisfacere ; imò nusquam hactenus ullo exemplo visi aut auditi sint , infallibilem adversum nos conclusionem ex utraque propositione revelati verbi dedisse : sibi concedi postulant,ut sufficiat alterutram ex Scriptura dari, & alteram rationis esse, unde apodictica inferatur conclusio. Sed nec hoc detrectabimus, si hâc lege nobiscum concordiam admittant, ut si hac in parte etiam potiores illis simus, tum agnoscant, ex conscientia se teneri nostræ rursum Ecclesiæ accedere. Ad hoc autem universos teneri sic facilè ex illorum principiis demonstro. *In dubio salutis, illud cuique ex conscientia amplectendum est , quod minus est periculosum , sed juxta illos minus periculosum est , quod magis in S. Literis est fundatum. Ergo hoc cuique illorum ex conscientia est amplectendum.* Agite igitur, videamus, utra partium ex Romano Catholicis & Protestantibus veriùs tutiusque suas

ex S.

ex S. Literis ducat consequentias. Quòd enim nos Catholici illud per omnes etiam præstemus controversias, quibus necessarios ad Fidem articulos complectimur, hoc abundè à me per tres Meditatæ Concordiæ partes est demonstratum, quando in prima quidem parte articulos pleros que controversos ex sola Scriptura S. exhibui, n. 2. & 3. tam Protestantes Lutheranos, quàm Calvinistas ex verbo Dei consequentiisque inde, non à me tantùm, sed Sanctis etiam Patribus, deductis reformavi. Agant utriusque partis Protestantes, & ex nuda Scriptura S. confessionem Confessioni, Reformationem quoque suam Reformationi nostræ, magis conformem orthodoxis Patribus (si quidem id possunt) opponant. Si manifesta magis Scriptura, consequentiisque vicerint, accedimus: si id nequeunt, suomet judicio nobis iterum sunt adjungendi. Potéstne æquior conditio, aut à nobis afferri, aut ab illis exigi? Profectò nisi acceperint, de hæresi manifestè convicti pereunt, & pereunt volentes

II. Jam ut breviter intelligant, quantò firmioribus consequentiis ex S. Scripturâ ductis nos Catholici præ adversariis nitamur.

Suppono 1. Ex communi utriusque partis doctrina. Cùm res Fidei in se obscuræ sint, ac plerumque humanam experientiam & cognitionem superent; ut quomodo Deus hominem justificet, quid in Sacramentis conferat, quam à morte quibusque pœnam constituat ac præmium: non possumus hæc fide divina credere, nisi propter extrinsecam veritatem attestantis Dei. Quia verò Deus non omnibus immediatè, ut Prophetis & Apostolis locutus est: alia in nobis fides humana debet præcedere, quâ firmiter credam, Deum hæc vel illa testatum, aut locutum esse. Et hanc testificationem optimè præstat universalis Christi Ecclesia per suos Pastores & Doctores, qui per omnia retro, ad Christum & Apostolos usque secula, testantur: hoc, vel illud esse verbum Dei. Hæc itaque fides humana viam mihi præparat ad divinam, quia exhibet mihi verbum divinum, cujus autoritate nitor. Inter hos duos actus: illud discrimen est, quòd prior fides, qua Ecclesiæ Doctoribus assentior, non sola dicentis Ecclesiæ autoritate nitatur, sed aliis etiam evidentibus signis credibilitatis, per rationem apprehensis, ut perpetua traditione, consensione, unitate, sanctitate miraculis, amplitudine ejusdem Ecclesiæ, quibus infidelium Ecclesias superat, ut his omnibus concurrentibus, non sola testificatio-

catione Ecclesiæ, sed etiam ratione evidenti impellar ad Ecclesiæ dicenti credendum, hoc, quod proponit esse verbum Dei. Unde quærenti, *cur credam Deum esse trinum & unum?* Respondebo, quia Deus, qui est infallibilis veritas, hoc ipse testatus est. Si deinde pergat quærere: *Unde scis Deum hoc esse testatum?* respondebo, quia Ecclesia tradit per totalesque testes ac Doctores, tot credibilitatis signis munitos, ut rationabiliter cogar assentiri. Cùm enim aliquem esse Deum adeoque & fidem religionemque erga ipsum, sola ratione intelligam: æquum est, imò obligor ex ratione, ut illic esse sentiam, ubi signis maximè credibilibus proponitur: quod in Catholica Christi Ecclesia fieri manifestum est. Ita Augustinus de se fatetur. tom. 6. de util. cred. c. 14. *Nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmata opinioni ac fama admodum celeberrima, hos autem populos Ecclesia Catholica mysteria usquequaque occupasse.* Et contra Epist. Manichæi c. 5. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret autoritas.* In duplici autem hoc judicio Fidei, illo divino quo assentior testanti Deo, & hoc humano, quo assentior hominibus testificantibus, hoc non est ratio, & fundamentum, quo illi primò assentior, sed tantùm quædam deductio, qua ad Dei loquentis verbum pervenio, cui deinde assentior, non propter Ecclesiam testantem, sed Deum ipsum loquentem. Fides enim divina esse non potest nisi quatenus divinæ innititur veritati. Et hucusque plerique Protestantium nobiscum conveniunt. Verùm nos adjicimus, admisso creditoque Dei verbo, ex eodem nos intelligere, tum quòd Ecclesia sit *columna & firmamentum veritatis*, tum quòd traditum verbum in Ecclesia relictum sit, quo controversiæ quæ scripto Dei verbo absolvi nequeunt, sint per Ecclesiam judicem definiendæ, eodem scripto Dei verbo præcipiente: *Dic Ecclesiæ, & qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Ipsi contra, quæ expressè scripto verbo definiri nequeunt, hæc à quolibet fideli consequentiis ex scripto ductis statuunt esse determinanda. Quod & nos eo loco ubi scriptum sufficit, probamus, modò non à quovis privato, sed ab Ecclesia ejusque Doctoribus ex S. Scriptura ritè concludentibus iis absolvatur. Unde rursum huc tota controversia recidit; plùsne cuilibet fideli privato, an universæ Ecclesiæ per suos Doctores aliquem Fidei articulum ex S. Scriptura deducenti credendum sit? Quam rem in Medit. Concord. art.

art. 5. §. 6. & seq. abundè definivi: ut licet Ecclesiam statueres esse fallibilem, tamen huic esset acquiescendum.

Suppono 2. Neminem Fide divina certum esse, conclusionem ex altera praemissarum de Fide, & altera rationis deductam, esse propositionem de Fide. Quia nullibi hoc in S. Literis revelatum esse legimus. Et sicubi vel Christus, vel Apostoli ratiocinatione usi sint, hoc mihi argumentum esse non poterit, me illa utentem falli non posse, cùm illi non sola ratione, sed & infallibili Dei veritate subnixi fuerint. Addo, nec quidem certitudine humana infallibili constare nobis, talem conclusionem esse verbum Dei, cui fide divina credendum sit. Nam & ipsorummet Protestantium haec est regula. *Rationem humanam ac Philosophiam fidei mensuram, & controversiarum Iudicem infallibilem esse non posse.* Ut Meisnerus part. 2. Philo. Sobr. in prooem. ad lect. p. 5. Quod si tamen Protestantibus placuerit, rem adeò incertam pro certa sibi vendicare, ut fulcrum aliquot labantis Fidei reperiant; & nobis veniam dabunt, ut pari cum iisdem privilegio fruamur, si quid per ejusmodi ratiocinationes legitima methodo deduxerimus, hoc ipsi teneantur pro articulis Fidei venerari. Hac enim hypotesi utrimque admissa, confidimus nos ex sola etiam Scriptura S. longè verius luculentiusque articulos Fidei nostrae, quàm unquam Adversarii facturi sunt, deducturos. Quin illosmet suis armis validissimè expugnaturos, neque necessè fore, ut ad traditum Dei verbum Patresque & veterem Ecclesiam transeamus.

Suppono 3. ex Protestantium sententia si in omnibus Fidei articulis ex S. Scriptura quivis Fidelium discernere teneatur, quae doctrina vera, quae falsa sit, debere quemvis Fidelium certum quoque esse de legitimis ex illa ductis consequentiis; cùm enim ambigitur, firma haberi non potest fides, quae omnem fluctuationem excludit. Haec autem certitudo de hac illáve conclusione legitimè illata cùm minimè ex S. Literis habeatur: sola hanc Philosophia suppeditare debebit: qua de fallacia frequentiae in cōsequentiis abundè instructus homo sit, sive illa aequivocationis, sive divisionis, aut compositionis, sive accidentis, aut consequentis, alteriùsve sit vitii. Illa enim nisi penetrentur, quàm facilis erit deceptio! Quid, quod nec in forma optima sat tuta multis syllogizandi ratio sit, cùm juxta Aristotelem in hac, ex probabili aliquando certum, ex falso verum infertur, si Danhavvero Protestanti pag. 39. Polemosoph. credi-

credimus, his illud exemplis probant: *Omnis Philosophus est necessariò homo: Aristoteles est Philosophus. Ergo Aristoteles est necessariò homo.* Ubi minor est solùm per accidens vera ac probabilis, pro qua si ponam, *Corydon est Philosophus*, falsa erit, & tamen sequetur similiter vera certaque conclusio. Patet igitur, non diffitentibus adversariis, quod tot lapsibus syllogizator expositus sit, qui nec à mediocriter doctis iat possunt caveri.

His positis, si ex voluntate Protestantium per consequentias denique res Fidei controversæ decidendæ sunt, longè his certiores esse Catholicos demonstro, ideoque juxta ipsas Scripturas S. ad hos esse redeundum.

III. Dico 1. Quàm certum est Catholicos in formandis ex Scriptura conclusionibus universalis tueri sensum sententiamq; Ecclesiæ, Protestantium verò quemque sensum privatum: tam est certum quoque, illos longè, quàm hos tutiori per consequentias viæ ad veritatem cognoscendam insistere, sed illud utriusque partis confessione exploratum est. Igitur & hoc ipsum. Antecedens manifestum est, & fusius in Medit. Concord. art. 5. §. 6, à me probatum: nam consequentiam, quàm plures unanimi consensu ex præmissis è Scriptura & ratione formant, plus, apud æquos Judices, probabilitatis obtinet, quàm illa, quæ unius tantùm judicio nititur. Dicat privatus se non suo judicio (nisi discretivo juvante, non impellente) sed veritate divini verbi subniti, idem dicent longè rationabilius Catholici cum Ecclesia concludentes. Quòd hi non humana Ecclesiæ autoritate (nisi tantùm ut applicante) sed divina solùm loquentis Dei moveantur. Neque in fide salvifica quicquam humani, ut vel imperitè, vel malitiosè calumniantur hæretici, pro motivo formali credendi agnoscant. Rursum dicat privatus, sibi dictum cum Judæis Joann. 5. 39. *Scrutamini Scripturas*, promissùmque, quòd *in eis vitam habiturus sit.* Respondebunt Catholici: per se Scripturam reverenter legi & audiri, ubi definitum absolutumque expressis verbis sensum exhibet, atque illic sibi ad fidem etiam sufficere; ubi verò per illationes diversorum in sensus diversos abstrahitur, cùm Ecclesia suas se malle formare consequentias, quàm privato tantùm judicio, sententiæ Scripturarum indefinitæ acquiescere. Replicet ille; ubi indefinitus & obscurus Scripturæ sensus est, fidem non requiri divinam, verùm suam cuique opinionem esse liberam. Mox reponent Catholici: cur illi igitur, qui Scripturam solam in definitis sententiis normam esse omnium credendo-

dendorum statuunt, de necessariis definitisque pro fide articulis tam diversè sentiant, & nec in symbolo quidem Apostolico hactenus de uno sensu definito, convenerint, statuerintque, num omnes in hoc articuli ad Fidem salutemque, & quo sint in sensu necessarii? Hinc enim manifestè sequi; quòd vel universi à fide (quæ etiam in uno necessario puncto violatur) devient: vel certè plusquam una diffidentium pars consistere nequeat, cui tamen sua in fide credendum non sit, quamdiu meliorem, quàm quivis hæreticus, suæ certitudinis rationem non adferat. Hanc autem Catholicorum quilibet tum præstare censetur, quando suæ ex S. Literis haustæ sententiæ, vel priscos orthodoxæ religionis Patres, vel Ecclesiæ consentientis suffragia adhibet. Recurrat denique privatus ad divini Spiritus, debitè invocantibus promissi, in corde suo fidem confirmantis, certitudinem. Catholici non minùs ad preces divi numqi hunc Spiritum Fidei donum largientem se convertent: hoc insuper habituri verioris præsidii, quòd Ecclesiæ nunquam defecturæ hic spiritus, longè certioribus atque utrimque receptis Scripturæ sententiis, promissus fuerit. Ut quocunque se privatus ejusmodi, sive ad humanas, sive ad divinas rationes converterit, longè à Catholico etiam privato ex S. Literis, cum sua Ecclesia ratiocinanti, superetur. Et sanè indignum toleratu videtur, quòd homo fidelis, in schola Christi, alteri sese pertinaciter ausit opponere, cui in producto Scripturarum sensu tota Ecclesia suffragatur. Hoc enim semel admisso, nec Protestantibus quidem fas erit, per collectam Ecclesiæ Synodum, privatum hominem ex iisdem Scripturis opposita sentientem, condemnare, quod tamen manifestis exemplis comperti sunt facere.

Dico 2. sive ex altera præmissarum de Fide, & altera rationis sequatur conclusio de Fide, vi formæ; sive non sequatur, Protestantes in sua hac probatione subsistere nequeunt. Si enim vi formæ talis sequatur conclusio, motivum hujus assensûs, partim erit verbum revelatum, partim humana ratio (nam utroque principio ita necessariò movetur ad assensum, ut alterutro remoto, hic vi formæ nullus esse possit) adeoque manifestum erit Protestantes non jam ampliùs soli verbo Dei, in Fide assentiri, sed & verbo sive rationi hominum. Erit ergo fides Protestantium, nova Chimæra, ex humano & divino verbo conflata. Si verò fateantur, non sequi conclusionem de Fide; jam omnes suæ fidei articulos contra nos productos hac veritatis confessione admiserunt: cùm citra hujusmodi ratio-

 cinium

cinium nihil queant efficere, & nec unicum quidem articulum religionis suæ adversum nos ex puro expressóque verbo Dei formare. Dixi *vi formæ*, ex altera rationis, nihil de fide sequi. Nam ratione materiæ fieri potest, ut sequatur conclusio de Fide, si videlicet hæc cum altera, quæ de fide est, infallibili & necessaria conjunctione tota cohæreat, ut si inferatur *Petrus est mendax*, ex illa *omnis homo mendax est*, tum enim altera propositio rationis quod *Petrus homo sit*, tantum se habere potest ut conditio applicans: non verò ut ratio formalis motiva. Quia in enthymemate, *omnis homo mendax*: Ergo & *Petrus est mendax*: tota ratio motiva continetur.

IV. Dico 3. Si conclusiones ex altera fidei & altera propositione rationis de fide sunt, istæ similésque de fide erunt. *Fideles stant & tenent traditiones quas acceperunt sive per epistolam sive per sermonem.* Sed *Protestantes non tenent traditiones per sermonem.* Ergo *non sunt fideles.* Major est Pauli 2. Thess. 2. Minor ipsorummet Protestantium Confessio est. Igitur bona Conclusio. Aliud exemplum trado. *Qui Ecclesiam non audierit, cum aliquid habet adversus fratrem, est sicut Ethnicus & Publicanus.* Sed *Lutherus, Calvinus & Sectatores in contentione religionis adversus fratres Ecclesiam non audierunt.* Ergò *sunt velut Ethnici & Publicani.* Major Christi est Matth. 18. Minor per experientiam certa est. Rata igitur conclusio.

Quod si ergo, juxta Protestantes; hæ conclusiones de fide sunt, de fide quoque est, ipsos in errore versari. Agant, & his magis probatas ex S. Literis conclusiones deducant; has etiam, si possunt, elidant, quod nullis interpretationibus, nisi ex Scriptura S. validiore conclusione deductis, facturi sunt. Sed hoc nos inter adynata fidenter collocamus. Tenentur igitur Protestantes, hic ex propriis principiis verbo tradito & Ecclesiæ, in suis etiam conclusionibus, obligati.

V. Dico 4. Vana fides est, quæ non nititur objecto, seu re certa; sed talis fides Protestantium est. Ergo vana est. Major propositio indubitata est: Minor ex suppositione 2. constat, quia fides illorum nititur illationibus in medio rationis fundatis atque ex eodem deductis; sed ratio humana juxta Protestantes fallibilis atque incerta est. Ergo & incerta fides. Iterum, cùm doctrina, quæ ex altera de fide, & altera rationis conclusionem de fide dari asserit, non ostendantur in S. Literis, ideóque humana sit, & opposita illi sententia probabilis maneat, multò minus error in fide censeatur; planè lubrico funda-

mento

mento Protestantes nituntur. Denique si esset conclusio talis de fide, contradictorium ejusmodi conclusionis error in fide & hæresis in pertinaci defensore futura esset, quod non facile dicturi sunt, nisi Majores suos sanctosque Patres, contra quos sæpe concludunt, erroris simul condemnent.

VI. Dico 5. Certa fides non est, neque vulgo hominum penetrabilis, quæ ex subtilitate & fallacia multiplici consequentiarum dependet; sed talis est fides Protestantium. Ergo certa non est. Major juxta minorque propositio satis ex suppositione 3 innotescit. Et palpabilis hujus rei penè est veritas. Quod si enim in illa Doctorum hominum de rebus fidei concertatione, in qua ductis ex Scriptura certatur consequentiis, tanto plures intervallo sententiarum diffident, ac suas quique illationes validas esse contendunt, infirmas aut fallaces ceteras; quâ hic viâ obsecro, vulgus evadet fidelium, & per suas de Scriptura consequentias hos judicabit Doctores; rectène, an erroneè ex Scriptura procedant? quæ pars damnanda, quæ sequenda sit? Sæpe plebs legendi imperita, ipsis cogitur Doctoribus fidem adhibere, quid scriptura dicat, quidquid ex ea concludatur. Nisi igitur traditionibus Majorum, ab Apostolis & Christo traductis, contra hos errores firmetur & instruatur, nisi Ecclesiæ consentientis refugium habeat, nullum hisce relictum hominibus præsidium est, quo veritatem à falsitate distinguat. Planè etenim impossibile est rudibus indoctisque, inter tot hominum Doctorum de Scriptura & consequentiis dissidia, plus omnibus sapere, & quod expressis terminis definitum non est, suopte ex Scriptura determinare judicio, ac veram inter falsamque discernere sententiam. Nempe hi postulant, ut Corydon quispiam Aristotelem corrigat, Cerdo Theologum instruat, & quod ajunt, sus Minervam. Redeant obsecro hic, ubi ratiocinando res agitur, ad communis regulas judicii: tribuant aliquantò plus Ecclesiæ ejusque Doctoribus, quam privatis quibusque, etiam de hara eductis, hominibus: habeant aliquam SS. Patrum reverentiam, quæque illi olim è S. Literis deduxerunt non negligant, suas ipsimet leges agnoscant, quibus per Ecclesiam privatorum sententiam damnant, & his jure titulis Romanæ Ecclesiæ concordiam rursum amplectentur.

Dico 6. Posita necessitate illa probandi articulos fidei per artificium logicum & certas consequentias, tam necessarii semper fuerunt in Ecclesia Dei veri orthodoxique Doctores & Pastores in omnibus substantialibus religionis, quàm ejusmodi

consequentiæ fuerunt necessariæ. Nam cum hæretici e.g. Ariani pari artificio consequentiarum Catholicos oppugnaverint: neque his satis resistere: neque sua unquam tueri, nisi eruditi, & ad veritatem cùm tradendam, tum propugnandam probe instructi, poterant. Fuissent enim iuxta Protestantes sublati cum orthodoxis Doctoribus & Pastoribus omnes, quotquot ex S. Scriptura, tanquam norma, per certas conclusiones inter verum falsumque, sive inter doctrinam hæreticorum & Catholicorum discernere potuissent. Quod judicium tamen orthodoxæ Ecclesiæ semper necessarium est: cùm semper in ea hæreses futuræ sint. Tales igitur cùm in sua Ecclesia ante Lutherum non reperiant Protestantes, Romani verò illos exhibeant. Ad hos tanquam orthodoxos erit redeundum.

CAPUT XII.

Difficultates reconciliationi à Protestantibus objectæ producuntur obiter ac diluuntur, cùm Vrsini Ratisbonensis Superintendentis refutatione.

I. POstquam invictis rationibus Scripturisque evicimus, sine veris Ecclesiæ Pastoribus Doctoribusque, propagari fidem, Ecclesiamque Christi subsistere non potuisse: gravioribus quorundam Protestantium querelis, quibus retardari sese asserunt, quò minus ad Ecclesiam Romano Catholicam, ejusmodi Pastorum Doctorumque prærogativa fretam revertantur, erit occurrendum. Quas si vel omnino vanas, vel certè ad hanc separationem minimè sufficientes demonstravero, jam ex conscientia sese ad concordiam reditumque obligatos agnoscent, nisi perire magis quàm redire decretum sit.

Dum hæc scriberem, libellus mihi Germanicus à *Ioann. Henr. Vrsino* Superintendente Ratisbonensi in manum delatus est, quo per *Historico-Theologicam instructionem* diversarum religionum hac ætate placita complexus, necessaria suæ fidei capita in Lutheri Catechismo ex S. Scripturæ claris definitisque sententiis collecta, tradit contineri. Hæc autem capita esse docet p. 145. ex communi suorum doctrina, *decem præcepta Decalogi, articulos Christianæ Fidei, orationem Dominicam, institutionemque Baptismi, absolutionis, & Cœnæ.* Et p. 154. *Hic Catechismus,* ait, *nil nisi epitome quadam S. Scripturæ est, quæ*

sola

sola judex, norma, & regula est divinæ Fdei, juxta quam regulari discernique orthodoxam divinâ vque omnem doctrinam necessè est. Augustana Confessio, aliaque symbolici Lutheranorum libri, ejusmodi judex, norma, & regula non sunt; sed aperta quædam Confessio, testificatioque quemadmodum Scriptura S. à Lutheranis Doctoribus in controversis fidei punctis intellecta expositáque, tum repugnantes his doctrinæ rejectæ damnataque sint, ut habetur in Epist. Form Concord. p 572. quocirca ut doctrina Catechismi universis ad salutem est necessaria; ita symbolicorum librorum instituto à Doctoribus inprimis pro veritatis Christianæ conservatione est retinenda. Causam itaque separationis Luteranorum ab aliis ac præsertim Romano-Catholicis Ecclesiis, tum in eo collocat, quod alii præter orthodoxam Catechismi doctrinam, articulos fidei in S. Literis minimè fundatos obtrudant, p.152. contra quos Augustana Confessio non tam vulgo ad credendum (nisi ex Scriptura convincatur) quam Pastoribus ad errores avertendos necessaria fuerit instituta, tum verò in eo præcipuè, p.83. quod unum, idque in decretis suis infallibile Ecclesiæ caput à Romanis constituatur Pontifex, qui & libros S. Scripturæ nunquam agnitos, & articulos fidei nunquam in Ecclesia receptos, sub anathemate præscribat, quantumvis aliæ Ecclesiæ, etiam Reges atque Imperatores obnitantur. Hæc modesto satis, attamen fallaci genere scribendi latiùs prosequitur, in quo alii gravi cothurno paratragœdiantur, & tyrannide intollerabili Antichristi consciẽtias dicũt opprimi, ad idololatriã vocari, à Christi meritorum æstimatione abduci, à S. Scripturis ad unius hominis placita, tanquam Dei verbum acceptanda cogi, supestitiosis ritibus, neglecto vero Dei cultu, adstringi. Quæ cùm intoleranda sint, à Deo atque omni ratione alienissima spem concordiæ nullam superesse. Imò, inquit Ursinus, juxta receptas, utrimque regulas, ex conscientia nemo ejusmodi religionem amplecti poterit, quæ usque adeò à Scriptura S. deflectit.

II. Respondeo fatemur haud inviti: Romanum Pontificem, cùm decertantibus inter se diversis Ecclesiis particularibus anceps de veritate Fidei inquisitio est, illis quibus suam adjunxerit sententiam, hanc facere autoritatem; ut potiùs universalis illic Ecclesiæ sensus esse agnoscatur, ubi Pontifex, id est caput, cum suis membris sentit conspirátque, quàm apud illos, à quibus dissentit. Quod tamen novos condat Fidei articulos, aut in S. Scripturam libros inferat non agnoscimus: declara-

clarare, atque in lucem producere potest ambiguos & obscuros: non condere novitios.

Et hæc via sacrarum Literarum testimoniis munita, nobis in ambigua de Scripturis mente, ad veritatem à falsitate discernendam tuta ac parata est in Ecclesia Christi, quæ est *columna & firmamentum veritatis* & cui illa in doctrina fidei constantia promissa in Petro est Christum confitenti, cùm Christus asseruit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus illam.* De primatu summi Pontificis, hoc loco insinuato, alibi egimus, *in Med. t. Conc.* tantúmque abest, ut hæc dignitas, sensim cum ipsa Ecclesiæ amplitudine, quod par erat, succrescens, quenquam debeat offendere, ut maximo Christianæ Ecclesiæ non solùm ad unitatem servandam emolumento sit, verùm etiam ad reverentiam apud subditos conservandam ornamento, postquam ad illius cultum Principum quoque Regumque liberi transferuntur. Quæ obsecro Pontifici Christique in terris Vicario observantia futura esset, si Prædicantica in toga, uxore latus stipante, incederet? An tali summi orbis Reges & Imperatores dignam venerationem, quàm summo sacrorum Antistiti etiam gentiles non negabant, censerent deferendam? Nimirùm hæc petra Ecclesiæ, non potest non esse omni hæretico lapis offensionis: *quæ enim conventio Christi ad Belial?* Sed de his sequenti capite aliquantò distinctius.

Quàm verò impudens illa adversariorum calumnia est, quam de Antechristo per mille jam annos in Romana cathedra regnante, non modo protervè criticis in scriptis evomunt, sed nuper etiam Jenenses in Romani luce Imperii S. Bibliis apprimere, ejusque summo Capiti Electoribusque, velut in os faciemque probrosè ingerere, tanquam verbum Dei conati sunt, simulque & illos & omnes Majores suos Romano Pontifici Sacramento, & Ecclesiæ communione addictos, velut illius asseclas, & jurati Christi hostes improbissimâ conviciandi licentiâ traducere. Quid enim interest, dicámne illos omnes cum diabolo communionem, an cum Antichristo ejus mancipio contrahere? At quo divinæ Scripturæ fundamento? An non hic in re tanta, expressis agendum verbis? aut si (quod fallax tamen est) consequentiis, iis tam validis certisque, ut contradictoria earum propositio sit error in fide. Dent enim verò, dent, quæ vel umbram ejusmodi illationis sustineant, neque leviculis ex allegoria conjectatiunculis ubique, ut fecerunt, insistant:

stant: aut manifestum erit, ejusmodi conviciatores aliud nihil moliri, quàm ut pacem concordiámque religionis, quam veritate non possunt impedire, mendaciis & calumniis retardent, ut appareat non nisi a patre mendaciorum has machinationes ad communem multorum perniciem excogitatas esse.

III. Jam ad alteram venio partem, quæ in turpi principii petitione ab Ursino est fundata. Supponit enim ille, quòd ante omnia probandum est, & in quæstione positum: Lutheranos solos ex puris limpidisq; Scripturæ fontibus suam catechesin hausisse, è turbida petere omnes reliquos, atque inprimis Romanos, qui extra verbum Dei plures minimè necessarios articulos obtrudant credendos. Antè, mi Ursine, evertenda erat confessio Catholicorum in Comitiis Electoralibus Francofurtensibus nuper vulgata, ac purius, quàm vos nullam producturi estis, ex S. Literis deprompta. Antè docendum, vos articulos rerum omnium credendarum, ut de Deo trino in personis, in essentia uno, de consubstantiali Christo, de communicatione omnipræsentiæ, aliáque id genus, quæ in vestra sunt fide, ex puris disertisque haurire S. Literis. Hoc nunquam factum, nunquam futurum est: quod tamen pro fundamento thesinm tuarum collocas, & velut concessum ad probationem assumis. Quàm igitur hoc vanum, tam vanum quidquid superædificatum est.

IV. Sed aliquantò te pressiùs ad veritatem adhuc reducam. Dicis catechismum Lutheticum, sive Decalogum, symbolum orationem Dom. Baptismum, absolutionem, & cœnam necessaria esse ad salutem, etiam necessitate medii, & quidem expressè crediti: & his doctrinam Christianam definiri: nec præter hæc aliud ad fidem salutémque requiri. Sed hæc nisi disertis Scripturæ verbis dederis; verùm solis interpretationibus consequentiisque humanis fisus; jam utique, ut homo, falli poteris, & si potes: nullâ nobis promissione revelatum est, de facto te non falli; adeoque nec ipse quidem tu tibi tutò fides Quid hoc pacto facies, quo te vertes: nisi ad Ecclesiæ judicium nobiscum confugeris? Deinde quo tu jure *Absolutionem* ad hæc arcersis necessariam, hancque præ Ecclesiæ profiteris doctrinam, quam plures huc spectare non agnoscunt? Et quid si nonnemo post Baptismum fide viva perstet, neque lethali noxâ inquinetur, an is fine absolutione ac cœna, seu creditâ expressè, seu perceptâ salvus esse non poterit? Postremò vestrum plerique solo Apostolico symbolo res credendas cir-

cumſcribunt, in quo nihil expreſsè de cœna, nihil de Baptiſmo aliiſque à te ad fidem requiſitis. Hi igitur cum illa, quæ neceſſitate medii expreſsè credenda, præſcribis, negligant, te judice à ſalute excidetunt, & Lutheranum tuum cœlum valde anguſtum futurum eſt.

V. Dicis 2. Auguſtanam Confeſſionem, non eſſe ejusmodi judicem & normam fidei, ſicut catechiſmus ex Scriptura ſumptus eſt. Quid hinc inferam, niſi, quòd hæc nobis Confeſſio verbum Dei adeóque fide divinâ credenda non exhibeat, quemadmodum catecheſis facit? Vana igitur iſta Confeſſio eſt: quia humana & fallax. Decipit nos ipſa Confeſſio, & Lutheri per Dieteticum illuſtratus, ubi Lutherani confitentur, in proœm. Confeſſ. Aug. quòd *Auguſtana Confeſſio ſit ſymbolum publicum quorundam Eccleſiarum de præcipuis religionis capitibus ex Dei verbo conſcriptum & approbatum.* Sin admittas in hac Confeſſione Scripturam proponi, cur non ſit norma æquè & regula rerum credendarum, quàm catechiſmus? cur hanc Confeſſionem apud vos homini fideli impunè licebit ignorare? an fortaſsè quòd catechiſmus ex claris Scripturis productus ſit, Confeſſio ex obſcuris? Nec hæc opinor dicturus es, niſi à generali tuorum regula deflectere lubeat; quòd *nihil divinâ fide credendum ſit, niſi quòd perſpicuè & evidenter in Scripturis S. propoſitum inveniatur.*

Porrò quòd ſentias Confeſſionis Auguſtanæ articulos non eſſe creditu ad ſalutem neceſſarios; rectè quidem ſentis, gratulorque, quòd hac in mente tantò nobis ac veritati acceſſeris propius; ſed niſi totam falſitatem ejuraveris, nec Lutheranus ampliùs, nec Catholicus futurus es. Non enim ſenties neceſſariò credendum, ſolam fidem juſtificare: juſtitiam ac Chriſti merita per illam apprehenſa ad ſalutem ſufficere: bona opera juſtorum nihil mereri: originalem in baptizatis labem relinqui, non imputari. Et hæc rectè. Iterùm non ſenties credendum, quòd Baptiſmus ad ſalutem neceſſarius ſit, quòd corpus & ſanguis verè diſtribuatur veſcentibus. Et hæc malè: niſi fortè vi catechiſmi hæc ſatis tradita fatearis. Neque pugnaveris te abundè tuis, quòd à doctioribus illorum fidem articulorum requiras; ut Eccleſiam veſtram propugnent, & ab erroribus tueantur. Nam ſi absque fidei juſtificantis cognitione apud vos rudiores fidei veram ſalutémque poſſunt aſſequi, poſſunt etiam ſine exercitio talis fidei merita Chriſti ſibi applicare, quia ignotæ fidei nullum poteſt eſſe exercitium: poſſunt igitur ſine

fide

fide salvari. Aliam enim fidem salvificam, præter justificantem, vos nullam agnoscitis.

Animadvertes igitur, Ursine, juxta hanc doctrinam, quæ sana est, ad nostram tibi fidem esse transeundum. Ex ipsa tibi etiam Augustana Confessione patrocinabor. Sic habet art. 21. *Dissensio est, de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hac lenitas Episcopos, ut propter Confessionem quam recensuimus, tollerarent nostros, quia ne Canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent.* Si de abusibus solum in ritibus hæc tractet Confessio, quid hæc ad salvificam fidem? sive igitur Augustanæ Confessionis dogmata admiseris, sive rejeceris; modò catechesin teneas, fidem non amisisti. Neque ad rem faciet, doctusne, an indoctus fueris? cùm, me judice, quantò quisque futurus est doctior, tantò minus Confessionem Augustanam in S. fundatam esse Literis intelliget, multòque magis repudiabit.

In uno vos hic tantùm Lutheranæ professionis viros vestramque coram Deo conscientiam appello, si abusus in Ecclesia Romano Catholica, in qua majores vestri educati sunt, nonnullos deprehendistis, cur opprobrium patentis cum improbo Cham revelare toti orbi maluistis, quàm cum Sem & Japhet obtegere? Irenæus olim, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus; reprehensione digna repererunt in Ecclesia, nunquam tamen seditione facta collectisque adversus illam populis, contempto matris imperio, legum tabulis publicè combustis, exectata illius primaria sede, ab ea secessione aperta divisi sunt; sed literis privataque exhortatione contenti, quod emendare non poterant, tolerarunt. Quod si ita Lutherus, Calvinusque Ecclesiæ quoque, si qui erant, defectus curare aggressi essent, tolerati à matre filii potuissent, nunc jure ab illa damnati, quam ante injuriâ damnaverunt.

VI. Dicis 3. Romanos obtrudere vobis articulos fidei in Tridentino, qui tales non sint, ideóque vos iisdem non posse conciliari, quod inanis hominum traditio pro verbo Dei haberi non possit. Sed & hîc falleris. Nam in plerisque articulis Tridentinum privata vestri capitis commenta, quæ in Confessione Augustana, tanquam fidei articulos, obtruditis, damnat & negat acceptanda. Quod igitur nobis crimen affingitis, vos committitis; quàm inaniter venditatis scripturam Tridentinum in

damnatis negatisque articulis vestris non agnoscit; non igitur nisi de vestra hæresi proscribenda laborat.

Ubi verò hæc eadem synodus quædam statuit credenda, juxta scripturas fidem recolit antiquam, novam minimè communiscitur. Hæc manifestè in *Medit. Concord.* p. 2. & 3. Scripturis S. veterisque Ecclesiæ interpretatione declarantur: & satis tua Ursine concessione firmantur, qui statuis Augustanam Confessionem normam rerum credendarum (ex S. utrique Literis desumendam) non continere; sed solas expositiones Doctorum, per quas Romana doctrina damnetur. Verùm, quo id jure? Cum enim expositiones illæ vestro etiam judicio, possint fallere, inutilis atque irrita vestra est damnatio, quâ doctrinam, quæ fidei nobis est, perstringitis. Nullum enim apud vos sine norma]& judice scriptura de fide judicium. Tota igitur hæc lis ad principium consuetum recidit? utra videlicet partium Verbum Dei propius sequatur? quam in Meditat. Concordia quæstionem apud quemvis æquum judicem abundè teor esse absolutam. Tu verò nobis ultro etiam largiris, quando Catechismum solum continere normam fidei doces, Confessionem negas. Hanc igitur sine ullo in fide errore damnare Tridentino licuit, vosque illius amplecti damnationem potius tenemini, quàm Ecclesiam tam fœdo unionis schismate lacerare. Hæc errare universè in Pastoribus Doctoribusque, ut audistis, nunquam potuit; hæc, cujus scripturæ perpetua fidelisque custos, ipsis etiam Protestantibus, fuisse censetur, illius quoque sententiæ atque interpretationis per traditum signatumque apud Patres Doctoresque Dei Verbum esse debuit: aut si in hoc fallat, in isto nihil quoque eidem erit credendum, quòd hujus etiam aliquando facilior, in tuenda integritate, quam istius tot hostium & corruptorum manibus expositi, custodia fuerit: hæc successione perpetua Doctorum Pastorumque inter tot adversariorum impetus, tot suorum naufragia, tot hæreses & schismata, tam sæpe imbecillis, tam diserta ab omnibus, in tanta Pontificiæ dignitatis invidia & æmulatione, ceteris juxta regnis, quantumvis firmis, sensim tamen inrerlabentibus, sola immota constitit, nunquam sine hoste, & in summa licet debilitate, nunquam sine victoria. *Dubitabimus* nos, inquit de util. Cred. Augustinus c. 17. *ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad Confessionem generis humani ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculo-*

miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas partes dare, vel summa profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantia. Quæ cùm olim Augustinus senserit, quanto tunc validiore sensu, post tot lapsus seculorum, tot superata discrimina intorqueret: Cum Paulo concludo Phil. 2. *Si qua ergo consolatio in Christo, siquod solatium charitatis, siqua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes.*

CAPUT XIII.

Primatus summi Pontificis in Ecclesia orthodoxa institutus fuit, tam ad exortas controversias dirimendas, quàm propagandam fidem, regendamque Ecclesiam.

I. NOvimus quantum invidiæ summa illa Rom. Pontificis autoritas multorum animis subjiciat, ut miraculum Chrianæ Ecclesiæ illustrissimum sit, contra tot hostes gravissimos potentissimosque, eosque omni ex parte omnique ætate imminentes potuisse, tot seculis, tantâ virium humanarum imbicillitate, supra omnem regnorum gloriam & antiquitatem subsistere. Hoc nisi quis divinum esse agnoscat, vix humanæ rationis satis compos, certè fragilitatis varietatisque immemor esse videtur.

Iterum cùm Apostolis successoribusque illorum Christus suam traderet propagandam, administrandamque toto orbe Ecclesiam, longè illud prudentius, sub uno visibili, ex cujus directione universa penderent, capite, esse institutum, quàm si singulis per orbem Ecclesiis singula relinquerentur capita, quis cum ratione negaverit? præsertim si non solum regimen, quod quam maximè ubique conforme esse conveniebat, sed tot infideles toto orbe iisdem fidei morumque præceptionibus imbuendas, tot hæreses iisdem legibus oppugnandas spectaverit. Illud igitur Protestantibus hoc loco considerandum relinquimus; an, quod minus prudenter institutum fuisset, quod communis Christi Corporis unionem solvisset, quo neque Pastores Doctoresque satis inter se ad doctrinæ ejusdem communicationem, neque membra ad religionis charitatisque societatem potuisset conjungere, hoc Christo in suæ Ecclesiæ moderatione velint attributum? Videte rem admirandam, quæ que in

stuporem

stuporem extremæ cœcitatis reluctantium nos meritò abripiat. Vix paucculas angustis terrarum in Europa spaciis provincias numerant, & nec sextam quidem Europæi circuli partem; cùm universo orbe sparsi Romani Catholici, suam propagent Ecclesiam, nihil tamen minus isti tam pauci, omni hactenus artificio ac labore impetrare non potuerunt, ut iisdem religionis placitis atque articulis fidei convenirent, sed divisis inter se pugnant Ecclesiis, non soli Hollandi & Hassi cum Saxonibus, Angli cum Danis Suecisve, sed & horum singuli inter se. In Hollandia Arminiani & Gomaristæ, in Anglia Puritani & Episcopales, in Saxonia Helmstadiani & Wittenbergici, hac ætate, non leviter collisi, se mutuò in fide damnarunt. Neque hæ lites sine Magistratus ac secularium Principum suprema autoritate finiri, aut saltem sopiri, potuerunt. Et hi sunt, qui sine visibili capite volunt esse fusam toto orbe Romanam Ecclesiam, qui usquè adeò tantillum corpus moderari non possunt, ut divisis universè synagogis, sine communi capite ideóque & fide, nunquam conveniant: & nec pauculas quidem unius regionis Congregationes, absque profano capite, hoc est, seculari Principe, sacro Christi Corpori per necessitatem imposito, aliquâ conformitatis specie moderantur. Nota exempla & decreta Principum sunt; quibus profani, quid in sacris credendum esset, præscripserunt. nota Ecclesiarum, non in adiaphoris, sed fidei erroribus sese accusantium, communicatio separata, & scissa unio. Nota Anglicanæ mulieris in Protestantium Ecclesia suprema quondam potestas, ut Episcopi, quibus virile sacrumque in Apostolica sede caput non placuit, jam femineum profanumque, quæ tenenda quæque reprobanda sint in fide præscriberet. Ohe, quanta Protestantium infelicitas, si ad tantam confusionem & ἀναρχίαν oculos non aperiant! Videant contra obsecro Romano Catholicorum, non in ipsis tantùm fidei articulis, sed in ultimis Ecclesiæ etiam ritibus consensionem: Ecclesiæque illius toto orbe sparsæ amplitudinem, cum angusta, sua laceraque tot sectis, synagoga comparent, quique in suo hoc terrarum angulo, sine aliquo demum capite nequeunt sociari, hoc commune vinculum tot membris per universas mundi plagas divisis non conentur eripere.

II. Deinde manifestum est, quòd ut regna, principatusque nisi Rege ac Principe oppugnato non invaduntur; ita orthodoxam Ecclesiam oppugnari aliter, quàm supremi capitis & magistratus invasione, non posse. Quare omnem hæresin in

hoc

hoc quoque converti adversus Ecclesiam necesse est. Ut igitur hæresis semper multiplex, Ecclesia una est: ita ex ipsa ratione pugnandi ac defendendi manifestum quoque futurum est, quæ pars hæresin, quæ veram sequatur Ecclesiam. Ad veritatem ergo à falsitate discernendam sola hujus ætatis experientia cuilibet sufficere poterit. Videant tantum in quam Ecclesiam armentur omnes ceteræ; inter se quidem divisæ; sed in hac oppugnatione sociæ: videant, quænam una sit quæ oppugnetur ab omnibus, & cujus præcipuè supremum regimen impetatur: id si viderint, jam quæ falsæ sint, quæ vera unica, sine longis ambagibus intellexerunt. Equidem in re apertissima nihil hic censeo apponendum, æquus & non omnino excæcatus arbiter deprehendet: ideo verum esse caput Romanæ Ecclesiæ: quia hoc unum ab omnibus sectariis, quocunque natis tempore, & quocunque nunc etiam loco ac studio Religionis divisis, in sola Ecclesia Romana semper & oppugnatum fuit, & hodiedum oppugnatur.

Postremò, nec recepta ab ipsis Protestantibus veritas, de Ecclesia Christi, ad finem mundi in veritate fidei perstitura, nec perpetuò in eadem duraturum ministerium Doctorum Pastorumque sine uno Rectore summo visibili rationabiliter potest consistere. Quod si verum, nec rationabiliter à Christo, Ecclesiam suam forma optima regiminis moderante, poterat prætermitti. Antecedens & ratione & experientia compertum est, cum vastissima quæque regna ad imperium unius facilius, sub iisdem legibus institutisque inviolatè serventur, quàm sub diversorum administratione consistant. Nam vulgare dictum est. quot capita, tot sententiæ Quod certè ut longè est verius, quam unius capitis plures esse sententias: ita longè certius est perstituros in fide cultuque religionis eodem constantius, qui unius, quàm qui plurium imperio reguntur. Præterea cum hæreses in Ecclesia esse oporteat, & inter ipsius Doctores Pastoresque illæ subnascantur: nisi hi sub unius imperio steterint, qui aberrantibus cum autoritate obniti, recta docentibus suffragari possit: quis in hac confusione Ecclesiam tueri, quis ancipites in hac pugna Doctorum suspensosque ex vulgo homines, diriget, cùm hos muta scriptura de cujus sensu disceptatur, non possit magis, quàm ipsosmet Doctores instruere, atque in veritatis observatione continere? Ipsi Lutherani suam, quam acephalam voluere, Ecclesiam contemplentur. Vix hæc nata fuit, moxque collisis inter se Doctoribus, Oecolampadius, Zvvin-

Zvvinglius, Svvenchfeldius aliique in diversa abiere, suasque sibi quisque coegere Ecclesias, quod deesset, qui cœptam reformationem summâ autoritate moderaretur. Et his-schismatum periculis quotannis augescentibus, multò levius defungi possent, si qui eandem sibi scripturam propoluerunt regulam, idem quoque caput supremum in Ecclesia sequerentur. Sed hæc frustra etiam hostibus subministramus consilia, quādo has vulpes non nisi caudis cohærere posse ab omni retro ætate est exploratum. Infatuavit enim Deus consilia illorum, quos ut repentè nasci, ita hoc præsidio destitutos, voluit sensim interire.

III. Jam si S. Scripturam tam validis de Monarchia Ecclesiæ rationibus adjunxerimus, quis poterit refragari. Dedimus has part. 3. art. 30. Medit. Concord. cum expositione SS. Patrum, nunc solum attingimus. Vetus Ecclesia sine visibili capite non fuit, cur igitur nova sit, tanto illa perfectior? Ipse hanc Christus monarchico cœpit rexitque imperio, tradiditque disertè Petro Joan. 21. singulariter quoque præ reliquis suas oves pascendas; ut dubitare non liceat; sic propagatam Ecclesiam Christi esse, ut erat instituta. Expressit hæc Christus parabolis de Ecclesia manifestis, comparavit ovili, cujus unus est Pastor Joan. 10. 16. domui cujus unus est Paterfamilias Luc. 12. 42. quem Dominus constituit. Etsi Christus quidem dicatur caput esse Ecclesiæ, Eph. 1. additur esse *caput Ecclesiæ, sicut vir mulieris* Eph. 5. quæ habet retinetque sub illo sibi connaturale & suum. Deinde invincibile ex Scripturis argumentum est, quod in Ecclesia *nemo prædicare potest, nisi mittatur* Rom. 10. nemo mittitur nisi à superiore potestate. Christus misit Apostolos: quis his defunctis mittet, nisi successores? & ubi has certius, quàm in Romana utriusque Principis sede, amborum morte consignatam, & sanguine, repetiemus? Denique hoc ipsum, quod ex S. Literis huic monarchiæ obtendunt Luc. 22. 25 argumentum, hanc etiam disertè stabilit, sic Christo discipulorum ambitionem arguente, ut simul indicaret futurum inter ipsos ceteris majorem, sed quem vellet demissione esse minorem ceteris: *Reges, inquit, gentium dominantur eorum: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Major itaque futurus erat, alioquia supervacanea hæc ad majores eorum pertinens fuit instructio. Dominium regium quod excludit omnem servientis demissionem abesse ab eis voluit, imperium quod cum ministerio in causis subditorum plerumque conjunctum est, non submovit, sibi in utroque

utroque succedere voluit, qui & minister & magister cęterorum appellari atque esse dignatus est. Quod ipso hodiedum titulo confitentur, qui ita prælunt, ut se servos servorum Dei velint nuncupari.

IV. Non ignoro hoc loco, cùm rationibus ac vi scripturæ premi sese adversarii dolent, ad Pontificum quorundam errores, lapsus, ac scelera, in theatro scilicet orbis oculis sermonibusque omnium exposita, accusationem inflectere; sed primò non animadvertunt miseri, etiam ipsum Apostolicum Collegium lapsibus obnoxium, neque idcirco Christi esse desiisse, aliis pœnitentibus, aliis etiam proscriptis. Imò hoc ipsum argumentum esse censeo divinæ in hac sede providentiæ, quâ inter degeneres quoque, tot seculorum periodis hanc immotam semper stetisse dignitatem, atque illud hactenus implerum vidimus quod olim Christus monebat: *super Sedem Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque vobis dixerint facite, secundum opera autem illorum nolite facere* Matth. 23. Hoc viribus humanis majus opus est; sceleratos Dominos non persuasisse subditis scelera, erroneos nullum in Ecclesiam errorem unquam propagasse: ut hæc rela in adversarios jure recidant.

Rursum oggerunt, nec inter ipsos satis Catholicos definitum esse: Sitne Pontificis sententia in rebus fidei decidendis infallibilis, an & ipse errare possit, ut cæteri. Hoc enim admisso, parum illius judicium profuturum est. *Resp.* Si de hoc ambigas judicio, & nescias an de fide illius infallibitas sit: proderit tamen ad hoc plurimum Pontifex, ejusque sententia, ut intelligas, quid vera sentiat Ecclesia. Nam (observa quæ dicam) ut plures inter se Ecclesiæ, atque etiam Concilia, de rebus fidei certare poterunt; idque tanto divisim numero, atque autoritate, ut cui partium, ob parem etiam Verbi Dei vendicationem, accedas, jure hæsites, quàmprimum videris, uni partium suam addicere Pontificem sententiam, jam repente intelliges veram hic Ecclesiam, sensumque orthodoxum reperiri. illic enim, citra dubium, homo vivere ac superesse censendus est, ubi, cęteris licet membris intermortuis aut præcisis, caput motum sensumque influere compertum est.

Jussi hanc te observare doctrinam, quòd illa, in Ecclesiæ certitudine (quam nec ipsi Protestantes negare possunt) fundata, ingens litium seminarium tollat, & hinc ad Concilia, illinc ad Pontificem provocantes facilè componat.

CAPUT

CAPUT XIV.

Romani Pontificis primatus, ex probata antiquitate, ab ipſis Proteſtantibus agnoſcitur moderno non eſſe diſſimilis, ut nec hac in parte poſſint detrectare concordiam.

I. CUm lis tota præcipuè, quam hic Proteſtantes nobiſcum ſuſcipiunt, in Rom. Pontificis verſetur primatu: quo ſemel agnito, facilè patet, ſiquid ad Eccleſiam controverſiarum referatur, hoc ſimul ab ipſius pendere ſententia, ſive fallibilis illa ſit ceterorum more Judicum (quos iccirco non licet declinare) ſive infallibilis: paucis hic eundem ſtabilire viſum eſt, quamvis id abundè in part. 3. Meditat. Concord. præſtiterim. Ad hujus autem rei veritatem indagandam nihil certius videtur, quàm priſtinæ orthodoxæ Eccleſiæ ſtatum florentiſſimum, ab ipſis adverſariis probatum, ob oculos ponere, atque ex illo præſertim metiri. Hic ſtatus, poſt tertium Eccleſiæ ſeculum, quando primus Imperatorum Conſtantinus fidem Chriſtianam amplexus eſt, fidelibus Epiſcopisque palam in luce imperii apparentibus, cœpit clareſcere: neque ante hoc tempus Eccleſiæ poteſtas arctata eminere, plenamque ſui cognitionem ipſo uſu experientiâque exhibere potuit. De hac verò rerum Eccleſiaſticarum, tum illius, tum ſequentis ætatis ſcriptores, ut Ruffinus, Euſebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique etiam ſancti Patres adeò diſertè loquuntur, ut quamvis Centuriatores Magdeb. Cent. 4. cap. 7. de Primatu, improbè eosdem ad alienum paſſim detorquere ſenſum conentur: tamen apud quemvis prudenter cenſorem evertere hanc de Romano-Catholicæ Eccleſiæ Pontificisque ſuprema poteſtate ſententiam non poſſint. Ipſos hac de re loquentes juverit auſcultaſſe, ſic loc. cit. loquuntur.

„ II. Ut in ſeculis Superioribus Epiſcopi Romani cœperunt, „ data occaſione paulatim ſibi præparare aditum ad primatum: „ ita neque hoc ſeculo in iis myſterium iniquitatis fuit otio- „ ſum.

„ Hactenus Romanis Epiſcopis auctoritatem præ aliis conci- „ liaverat amplitudo civitatis Romanæ, quod ea Domina & ca- „ put orbis eſſet, & multitudo & ſinceritas, & conſtantia Do- „ ctorum & beneficentia in alias Eccleſias, & propagatio Evan- gelii

,gelij ad vicinas urbes. Jam verò accessit auctoritas Imper. ,Constantini Magni ad fidem conversi, in ea inhabitantis, qui ,causas Episcoporum etiam in alijs locis contendentium, non-,nunquam Romano, & alijs vicinis Episcopis cognoscendas ,& dijudicandas commisit, ut constat ex Euseb. lib. 10. c. 5. ,Deinde Nicæna Synodus ejus jam dudum affectatam suprà ,Ecclesias ejus Provinciæ eminentiam & inspectionem confir-,mavit, quam antea consuetudine sibi acquisiverat, ut paret ex ,Can. 6. Nic. Concil. apud Ruff, l. 1. c. 6.

,Posteà magis ejus potentiam auxit perturbatus Ecclesiarum ,orientalium status, propter hæresim Arianam. Nam cum ,orientales Episcopi Athanasius & alij, Romani ut præcipui in-,ter occidentales consilium & auxilium implorarent, & is pro ,eis sua autoritate apud Imperatorem intercederet, & consilijs ,juvaret, paulatim primas sibi vendicabant partes, quod con-,star ex historia Julij, quem Socrates lib. 2. c. 15. dicit fretum ,Ecclesiæ Rom. prærogativa, minacibus literis communivisse ,Paulum Constantinopolitanum, Asclepam Gazensem, Mar-,cellum Ancyranum, & Lucium Adrianopolitanum, & Atha-,nasium ab Orientalibus depositos: & ad Orientem scripsisse, ,& suum cuique locum restituisse, eosque reprehendisse, qui ,eos per temeritatem deposuerant. Sed Orientales ejus impe-,rium & primatus affectationem, ut legibus Ecclesiasticis ,contrariam refutant ut idem loc. cit. & Sozom. l. 3. c. 8.

,Fecit etiam id Rom. Episcopos insolentiores, quod sole-,bant, ut alij Metropolitani convocari ad Synodos, & si ab-,essent, eorum requiri sententiæ. Quod adeò pro canone Ec-,clesiastico sibi arripuerunt, ut eo nomine synodorum decreta ,reprobarent. Item quod in causis communibus, siquid alij ,egissent, solebant id ad Rom. Episcopum perscribere, ut sua ,comprobatione pacem & concordiam juvarent, quod apparet ,ex Epistola Ambrosij lib. 10. Ep. 78. ad Theophilum: ubi eum ,monet, ut si quid in causa Orientalium, quæ ipsi à Synodo Ca-,puensi commissa erat, ageret, referat ad Sacerdotem Rom. ,Ecclesiæ.

,Etiam illud eis ansam præbebat sese efferendi, quod ex aliis ,Ecclesiis testimonia de Doctoribus interdum à Rom. Episco-,po petebant. Fidem enim Moysis Saracenorum Episcopi pro-,basse dicitur Damasus, apud Socratem l. 4. c. 37. Item, quod ,eorum rectæ sententiæ acquiescebant etiam alij pij Doctores, ,quod videtur innuere Sozomenus lib. 6. c. 22. Cùm enim

 agita-

,agitaretur quæſtio de Spiritu S. Liberius ſcripſit Orientalibus ,Epiſcopis, ut cum Occidentalibus Sacerdotibus Triadem ,coeſſentialem, & ejuſdem gloriæ venerarentur. Quo facto, ,tanquam ſemel acceptâ à Rom. Eccleſia cauſæ determinatio-,ne, ſinguli conquievere.

,Et quod interdum Epiſcopi diſſentientes in alijs Provincijs ,ſponte appellabant ad Rom. Epiſcopum, & rogabant, ut u-,tramque partem citaret, & auditâ & cognitâ cauſa ſuo arbi-,trio & ſententia lites componeret. Sic Macarius & Heſychius ,legati Euſebianorum, à Julio poſtularunt, ut ſynodum indici ,curet, & mittat litteras ad Athanaſium & Euſebianos eoſque ,Romam convocet. Alexander etiam Carponem, ob Arianam ,hæreſin reum, Romam citari curavit, ut refert Julius in Epiſt. ad Antiochenos apud Athanaſium Apol. 2.

,Item quod quidam Ariani ad mentem ſaniorem redeuntes, ,& errorem & ſcelera ſua agnoſcentes, à Rom. Epiſcopis, ut ,præcipuis inter occidentales, cum obtuliſſent reſipiſcentiæ li-,bellos, recipiebantur. Quod de Urſatio & Valente, Julio offe-,rentibus libellum pœnitentiæ, narrat Socrates lib. 2. c. 24.

,Et quod eos, quorum non approbabat ordinationem, vide-,bat ſuam ambire amicitiam, & Romam ſui purgandi cauſa le-,gatos mittere. Cujus rei exemplum eſt in Flaviano apud Theo-,doretum lib. 5. c. 23.

,Utebantur etiam illo artificio Rom. Epiſcopi, ut in Epiſto-,lis ſuis (ſi tamen non ſunt prorſus, ut videntur fictitiæ) mul-,tum, ad tædium uſque de ſuo nomine Petrique Coryphæi ,Apoſtolorum primatu, occinerent, quemadmodum videre ,eſt in ſingulis ferè Epiſtolis, quæ Epiſcopis hujus ſæculi attri-,buuntur: maximè verò in Meltiadis, Marcelli, & Marci & ſi-,milium.

,Si qui ad eos ſcribebant, id ſtatim pro ſubjectione & obe-,dientia interpretari, eos ſolitos eſſe, teſtari poteſt Epiſtola ,Damaſi ad Epiſcopos Orientis apud Theodor. lib. 5. c. 9. Sic ,enim orditur. Quod debitam reverentiam Apoſtolicæ Sedi ,veſtra habet charitas, vobis filij chariſſimi præſtatis ipſi pluri-,mum &c.

III. Hactenus Centuriatores, qui licet ſuo livore in alienum multa ſenſum detorquere conentur, patet tamen, vel ex his, apud quemlibet æquum Judicem, hæc omnia, niſi in Eccleſiam primatum uſurpantem cadere non potuiſſe. Neque quorundam contradictio (qua ſemper hæc ſedes oppugnabitur, nun-

quam

quam expugnanda) ut nunc ad dignitatem hanc evertendam; ita olim potuit sufficere.

De sequenti seculo 4. ijdem Centuriatores longè etiam illustriora testimonia adferunt. Sic enim de primatu Cent.5.c.7.habent. Romanam Ecclesiam esse omnium primam asserunt in ,Epist. Pontif.Gelasius causa 9.q.3. c. *ipsi sunt*, & Leo ser.3 in ,annivers.Assumpt. & Epist. 89. ad Episcopos per Vien. Prov. ,Innocentius Epist,22.ad Episc. Maced.

,Non licet cuiquam Judicis personam (*in Eccles.*) sine per- ,missu Rom.Episcopi usurpare Evagrius tradit l. 2.c.16. Et Vi- ,ctor l.2.Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum ap- ,pellat.Acacius & Timotheus declararunt scriptis: Sedem Rom. ,debere omnium primam esse, teste Platina in Simplicio. Tur- ,bius Asturicensis agnovit ejus superioritatem; ut patet in epist. ,Leonis 93. Galla Placidia in epist. ad Pulcheriam & Valenti- ,nianus in ep.ad Theodos. Romano Episcopo propter Petrum, ,ait,Principatum Sacerdotij super omnes antiquitus tributum, ,Tarraconenses Episcopi Rom.Principatum non eminere mo- ,do,sed & metuendum esse agnoscunt.Synodus Vasensis,can.4. ,nomen Papæ Rom. in Ecclesijs suis recitari jussit, quæ res po- ,steà quasi in ἀποθέωσιν degeneravit. Sic autem habet can.6.In ,omnibus Missis,hoc nobis justum visum est,ut nomen Domi- ,ni Papæ,quicunque Sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ec- ,clesijs recitetur. Tam hæretici, ut Pelagius & Eutyches, quàm ,Orthodoxi Episcopi ac Synodi: ut Flavianus Leoni ep. Leon. ,9. & Proterius Alexandriæ Episc. pus eidem ep.68 ad purgan- ,dum se de hæresi scripsit, ut & Synodus Carthag Zosimo (Au- ,gust.l. 2.contra Pelag.& Cælest.c.7) unde jus appellationis ,& cognoscendi causas ab hac sede usurpatum est.

,Felix & Gelasius Rom.Pontif.Acacium Constantinopolita- ,num Episcopum excommunicarunt, quod Petrum Moggum, ,sine sua authoritate recepisset,ante excommunicatum. Leo A- ,natalio Constant. mandat ep. 46. ut causas graviores maturè ,perscribat, quo de ijs deliberetur,& constituatur. Idem Maxi- ,mo Antiocheno scribit ep.62. ut ad Sedem Apost.de profectu ,Ecclesiarum,& quid agatur referat. Ep.st.33. ad Theodosium ,Imp.scribit,ut Anatolium Constant. de Incarnatione filij Dei ,in Concilio convocato rationem reddere jubeat, ac Romanam ,in fidem jurare. Alia plura hujus generis exempla hoc loco re- ,peries. Usurpabant sibi jus, privilegia & insignia alijs Archie- ,piscopis largiendi, sic Cælestinus Cyrillo Alexandrino (cui

›ſuas partes, videlicet ut Synodo Epheſinæ præſideret, delega-›vit) priiegium dedit uſurpandi titulum Papæ, & mitram: ut ›Nicephorus l.14. c.34. Leo petit ab Epiſcopis Galliæ ep. 89. ut ›ſine conſenſu Leontij in alijs Provinciis non convocent conci-›lia. Et Innocentius ep. 18. Alexandro Antiocheno Cyprios ſub-›jicere videtur. Et Leo Maximum Antiochenum confirmavit in ›Epiſcopatu, cum in Epheſina Synodo, cujus alia acta reſciſſa ›ſunt omnia, factus eſſet Epiſcopus Act. 7. Chalced. Eundem ›Proterio Alex. Epiſcopo jura antiqua ejus ſedis, juxta canones ›& privilegia confirmaſſe indicatur Ep. 68. Leonis ad Julian. & ,69. ad Imp. Marcianum. Et Hormiſda Remigium inſpectorem ,facit Eccleſiarum Galliæ, & dat ei poteſtatem convocandi ſy-,nodos, dirimendique controverſias, & componendi diſſidia, ,ſed ita tamen, ut ad ſe acta referat, ut patet ex ep. ejus ad Remi-,gium. Leo ad Theodoſium ep. 33. poſtulat, ut Epiſcopum ,Conſtant. curet ad ſe mittere ſcriptum, in quo teſtetur ſe veram ,amplecti doctrinam, & damnare omnes diſſentientes.

,Uſurpabant ſibi poteſtatem mandandi alijs Epiſcopis, ut ,quem ipſi vellent, & proponerent, in diſſitis Eccleſiis Epiſco-,pum ordinarent, aut quem ipſi nollent, deponerent. Sic Cæle-,ſtinus in ep. ad Cyrillum Alex. & Johannem Antioch. & Ruf-,fum Theſſalonicenſem, mandat eis, ut Proclum Conſtantino-,poli deſignent Epiſcopum, ut Socrates l. 7. c. 40. Et Sixtus ,Hieroſolymam mittit Leonem; qui, congregatâ Synodo, dam-,nat, & deponit Polychronium: quem tamen poſtea denuo re-,ſtituit, ut patet ex ep. ad eumdem c. 12.

,Quoniam interdum à ſynodis damnati Epiſcopi, appella-,bant ad Sedem Rom. (quod Flavianus feciſſe, in Synodo Ephe-,ſina apud Liberatum c. 12, dicitur) paulatim ſibi inde jus con-,ſtituerunt; & poſtularunt, ut in Epiſcoporum cauſis liceat ad ,ſe appellari, ut patet ex actis 6. Carthag. Synodi & Epiſt. ad ,Bonif. Et Sixtus ep. 3. c. 5. ad Orientales decernit, ut contra E-,piſcopum ad Sedem Apoſt. appellantem, nihil aliud ſtatuatur, ,quàm Roman. Epiſcopus cenſuerit. Gelaſius epiſt ad Fauſtum ,M. impudenter (NB. *impudentem poſt tot ſecula cenſuram*) ,mentitur in Canonibus ſancitum eſſe, ut appellationes totius ,Eccleſiæ ad examen Rom. Sedis deferantur, & ab ipſa nun-,quam appelletur.

,Hinc ſibi arrogabant poteſtatem citandi alios ad dicendam ,coram ſe cauſam. Sic Conſtantinopolitanus apud Niceph. l. 16. ,c. 16. Romam citatur. Et Maximum citaturum ſe promittit Bo-

niſa-

,nifacius in epist. ad Episcopos Galliæ, & præceptorum, ut in ,Synodo Sacerdotum in Gallijs congregata compareat. Legatos etiam mittendi, qui in remotis provincijs cognoscerent hæreticorum errores & corrigerent. Sic Leo Constantinopolim ,misit Legatos, qui Eutychen ab errore revocarent, ut patet ex ,ep. ad Flavian 11. c. 6. Idem Legatos misit ad Imperatorem ep. ,34. & Ephesum ep. 44. & 46. ut adhibito Constant. Antistite ,eos qui à Dioscoro seducti erant, & pœnitentiam se acturos ,significarant, absolverent. Sic ep. 87. missis Legatis in Africam ,Donatum Novatianum jubet recipi, si de damnatione erroris ,libellum Romam mittat.

,Sumebant sibi facultatem excommunicandi alios Archiepiscopos & Ecclesias. Sic Leo excommunicavit Orientales, ut ,patet ex ejus vita. Et felix Asacium propter Eutychianorum ,Communionem damnat, in ep. ad eundem. Gelasius damnavit ,Acacium & Petrum missis literis in Orientem. Et absolvendi ,eosdem. Nam Gelasius in tomo Anathem. Petrum Alexandrinum secundæ Sedis Antistitem negat absolvi à quoquam posse, quàm ab Episcopo primæ Sedis scilicet Romano.

,Ausi sunt etiam ab Archiepiscopis postulare, ut si quid suo ,judicio non possent determinare, ad se referrent. Sic Leo ep. 84. ,c. 7. Thessalonicensi hanc legem dictitat. Bina per annum Provincialia Concilia celebrentur: & si res difficilis emerserit, nec ,fuerit Thessalonicensis Episcopi judicio determinata, ad Rom. ,referatur Antistitem Et vult etiam c. 11. Contentiones inter Episcopos ad se referri, cum actorum narratione. Innocentius in ,epist. ad Victricium Rotomagensem postulat: ut causæ Clericorum, quæ dirimi in Provincijs non possent, ad se referantur. ,Item, ut sua contra hæreticos decreta amplectantur, & observent. Sic Leo Nicetæ Aquileiensi ep. 86. mandat: ut congregata Synodo Provinciali, omnes Episcopos, & Presbyteros, & ,& Clericos cogat damnare apertè hæreses earumque autores, ,& approbare omnia decreta Synodalia quæ ad excisionem hæreseos, Apostolicæ Sedis confirmarit autoritas, idque subscriptionibus suis testari.

,Conati sunt eam sibi super Archiepiscopos vendicare autoritatem, ut si quid il i agerent, ex autoritate Rom. Episcopi egisse viderentur, quasi servi & mancipia ejus essent. Sic Leo ep. ,84. indicat Antistites Thessalonicenses semper vicem Apostolicæ Sedis implevisse. Ac monet Anastasium, ut in longinquis ,Provincijs quodammodò præsentiam suæ visitationis impen-

„dat & nihil decernat, nisi quod sibi probari agnoscat. Sic Gelasius in epistola ad Dardanos dicit: se curam Alexandrinæ „Ecclesiæ delegasse Acatio, ideoque eum debuisse ad ipsum referre omnia.

„Hæreticos pœnitentiam agentes ad se libellos mittere jubebant, in quibus errores damnarent. Sic Leo ep. 87. c. 3. Donatum Novatianum & Maximum jubet ejusmodi ad se mittere „libellos.

IV. En Rom. Pontificē vestris ex antiquitate depictum coloribus. Talem igitur si nunc vobis in Ecclesia Orthodoxa proponamus, an recusabitis admittere? Expedite, quòd unum aliquod in terris Christi Corpus, sine ejusmodi capitis conjunctione, quo vivat animeturq. in membris suis: sine tali influxu, quo regatur ac moveatur, neque inter se apta societate membrorum jungi, neque iisdem legibus moderari, eâdem Sacramentorum Communione ali, eodem charitatis Christianæ mutuorumque officiorum vinculo copulari possit, idque tanta, quantam Christus & Apostoli exigunt firmitate. Illam vobis igitur offerimus Ecclesiæ imaginem, quæ ex primis desumpta seculis, postquam ista ex latebris in lucem publicam prodire visa, omnium oculis paruit, multis verisq; historicorum tabulis est delineata, quam sine rubore ac probro vestro repudiare non potestis, siquidem ullam unquam in orbe Christi Ecclesiam agnosciris. Neque enim ex primo illa alteroque seculo, in cryptis latibulisque inter gravissimas tyrannorum persecutiones latitans, membrisque nobilioribus obscura, & officijs liberè ac jure pleno administrandis vel ligata, vel certè minus observata, in exemplum est traducenda. Verùm ista demum Ecclesia, quæ juris sui propalam usurpandi, potestatisq; sibi concessæ in alios, exercendæ plenam nacta fuit libertatem. Quòd, priusquam summi Orbis Monarchæ faverent, multorumque oculis atque historicorum monumentis pateret Ecclesia, nemo illi facilè plenum imperium ministeriumque vel indultum esse sentiet, vel etiam diligenti observatione posteris mandatum. Exhibemus itaque vestris è tabulis designatam, deque optimis illius vel supparis ætatis historicis, Romanæ Sedis Pontificisque faciem, jusque ac potestatem Orthodoxæ illius Ecclesiæ, quam si modo aspernamini, certum est vos aspernari veram atque unicam Christi Sponsam, Matremq;, quæ tot sanctos Patres sibi subditos obedientesque aluit, ex qua Majores vestri prodierunt, quam ut obsequentes audierunt filij, ut amantes venerati ac complexi sunt.

sunt. Quod cum Augustinus olim in Africanis Episcopis factum probaverit, neque sibi ipsi probrosum esse duxerit, nobis non erit contemnendum. *Erat* inquit ille Epist. 162. ad Glorium initio, *transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis* (Carthago) *unde, non mediocris utique autoritatis, habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Rom. Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo, illas Ecclesias alienare conarentur.* Hujus igitur ejusdem Ecclesiæ principatum, jus potestatemque, si vestrismet ex libris, vobis tam conformem modernæ Romanæ exhibemus, ut nil vos simile ad illius imaginem vestris in Ecclesijs dare possitis, profectò nisi à Deo, ac salute vestra, nisi à charitate & concordia omni aversi sitis, huc omnibus sine cunctatione erit redeundum. *Quoniam qui absque hac Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Aug. de symbol. l. 4. c. 10.

CAPUT XV.

Altera Ecclesiæ Nota à Protestantibus designata, quæ est rectus Sacramentorum usus, iisdem ostendit ad Romanam fidem redeundum esse.

I. Superest, ut de altera Nota, quam veræ Eccclesiæ Protestantes tribuunt, hoc est, recto Sacramentorum usu pauca disseram, & cuinam hic Ecclesiæ potissimum conveniat expendam. Sed ante de fraude, quam hic instruunt, more veterum hæreticorum, Protestantes admonendi sunt. Augustinus (quo potissimum utar, quod hunc sibi favere hic Protestantes putent) suis illam verbis pro me deteget: Sic ille ad Vincentium Rogatianum scribit Epist. 48. *Acutum aliquid videris dicere: cum Catholicæ (Ecclesiæ) nomen non ex totius orbis communione interpretaris, sed ex observatione omnium præceptorum divinorum, atque omnium Sacramentorum, & vos esse solos in quibus inveniat fidem, cum venerit filius hominis. Da veniam, non credimus &c. Sicut anathema erit, quisquis annuntiaverit, Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse; quo-*

niam in veritate Evangelica accepimus : oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die : sic erit anathema , quisquis annuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium : quia eadem veritate consequenter accepimus , & prædicari in nomine eius pœnitentiam , & remissionem peccatorum per omnes gentes. Hæc Augustinus, qui duplici hic Notæ obedientiæ videlicet legi Dei præstandæ, & usurpationi Sacramentorum vult addi Notam tertiam universalitatis. Nam cum omnes sibi vendicent observantiam disciplinæ Christi, rectumque Sacramentorum usum : nisi & hæ notæ signo hæreticis minimè conveniente, ut est *esse Catholicum ratione locorum* (quod sola fides vera, non autem hæreses toto orbe propagentur) distinguantur: Veram nobis Ecclesiam exhibere non poterunt : at hoc verius convenire Romanis, quàm Protestantibus, quis poterit inficiari ? Deinde idem in Sacramento Baptismi manifestum est.

Hic enim quomodo poterit esse Nota orthodoxæ Ecclesiæ : cum illo non minus hæretici, quàm fideles utantur, nisi quatenus per hos solùm toti orbi illius usus communicatur ? Hoc autem à Romanis fieri potiùs, quàm Protestantibus, non eget apud historiarum gnaros probatione. Aut igitur verus baptismi usus Nota Ecclesiæ orthodoxæ non erit, aut erit Romanæ. Accedit, quòd usitati hodie in baptismo ritus, ut sunt, crucis signum, unctio, exsufflatio, renuntiatio per gestantes in infantibus præstita, olim in Ecclesia adhibiti fuerint, ut locuples testis idem est Augustinus, adeòque legitimus apud Catholicos potius, quam Protestantes baptismi usus reperiatur. Vide Aug. contra Julian. l. 6. c. 2. & 8. in Joan. Tract. 44. &c.

Iterum si de Eucharistiæ recto usu inter nos disceptetur, ille maximè probandus erit, qui toto nunc orbe usurpatur, & Romanam rursus designabit Ecclesiam. Quanquam & alio argumento hæc illi Nota, præ sectarijs competat, quòd tam unius, quàm duplicis speciei usus, qualis Apostolorũ tempore, & primis in Ecclesia seculis repertus est, hodiedum apud solos Romanos inveniatur : cum unica sub specie à Protestantibus repudietur.

II. Deinde, quomodo rectum Sacramentorum usum sibi illi vendicare possunt, qui pleraque de suis Congregationibus Sacramenta eliminarunt, & magna inconstantia, nunc tria, nunc duo tantum esse asseruerunt ? Autoritate, id putant D. Augustini fieri, qui de nova lege dicit contrà Faustum l. 19. c. 13. *Sacramenta alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora,*

faciliora, numero pauciora, & de doctrina Christ. l. 3. c. 9. Baptismum & Eucharistiam solum nominat. Si igitur ajunt pauciora sunt quam legis veteris, quomodo possunt esse septem? Sed quis nesciat plura fuisse V.T. signa, quæ Salvatorem ejusque salutifera Sacramenta denuntiarent? Quid enim lepræ mundatio, agnus paschalis, tot alia sacrificia, Circumcisio, Purificationes & variæ Expiationes, Baptismus Joannis &c. quibus aut Salvator, aut salus per eum conferenda designata est? Ut verò intelligas D. Augustinum ad dualem numerum minimè Sacramenta novæ legis coarctasse, diversis eum locis de aliis Sacramentis locutum facilè in illius scriptis versatus intelliges. Sic de Bapt. contra Donat. l. 5. c. 20. inquit. *Si per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* ubi præter baptismum, Eucharistiam, S. Unctionem, & Confirmationem in Sacramentis agnoscit. Vide eundem de Confirmatione l. 2. contra lit. Peril. c. 104. De Unctione Serm. 215. de temp. Et quid clarius, quàm quod asserit in Psal. 103. Conc. 1. *Munus Sacramentorum, in Baptismo, in Eucharistia & in ceteris sanctis Sacramentis, quale munus est?* Et de bono Conjug. c. 24. *Manet in ordinatis Sacramentum ordinationis, etsi aliqua culpa quisquam ab officio removeatur.* Sic de Nupt. & Concupisc. l. 1. c. 17. *In nuptiis nuptialia bona diligantur, proles, fides, Sacramentum &c. hoc nec separati, nec adulterati amittunt conjuges.* Ita Epist. 180. ad Honorat. *Fit ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem, ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Vide l. 1. de adulterino Conju. cap. 26. & 28. Ex his, ni fallor, Septenarium facilè Sacramentorum numerum à D. Augustino etiam observatum in NL intelliges. Quanquam & illa quæ 3. parte Conc. post art. 36. de Sacramentis, ex ipsis etiam Protestantibus, observavimus, consulere ad majorem securitatem poteris. Quocirca, si ex recto usu aut neglectu Sacramentorum vel orthodoxa, vel heterodoxa quæratur Ecclesia, videbunt Protestantes, quo sibi eundum sit.

III. Jam cum Sacramenta pleraque in Ecclesia per Episcopos, alia etiam per Sacerdotes conferantur, quis legitimus Sacramentorum usus apud Protestantes esse (nisi in paucissimis)

poteſt, ſine Sacerdotibus & Epiſcopis? Nimirum cum Epiſcopos ſibi legitimos deeſſe Lutherus, aliique hæreſiarchæ videnint, repentè apparet, cur tot è ſuis Congregationibus Sacramenta ablegarint. Ad hunc enim finem Chriſtus tales Eccleſiæ præeſſe voluit, ut illam regerent ac paſcerent verbo Dei & Sacramentis. *Neque enim* ait Auguſtinus l. 2. contra Creſcon. c. 11. *Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos, quibus Verbum & Sacramentum dominicum miniſtramus.* Presbyteris verò, utpote gradu & poteſtate inferioribus ſine Epiſcopi voluntate Sacramenta conferre non licet. *Pœnitentibus* ait Concilium Carth. 3. cap. 31. *Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* & c. 32. *Presbyter inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo & neceſſitate cogente.* & c. 36. *Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret. Chriſma verò nunquam conficiat.* Hodie Proteſtantes illis legibus ſoluti ſunt, quando veros Epiſcopos cum ejuſmodi Sacramentis ſuis Eccleſiis proſcripſerunt, neque utrorumque beneficio frui ante poterunt, quàm ad illam, unde malè abierunt, Romanam & Epiſcopalem ſe receperint Eccleſiam, nec enim, ut Auguſtinus ait, habebunt Deum Patrem, ſi Eccleſiam noluerint habere Matrem.

CAPUT XVI.

Tertia Eccleſiæ orthodoxæ Nota, à quibuſdam obſervata, quæ eſt obedientia verbo Dei ejuſque Miniſtris debita Proteſtantes quoque ad Romanam Eccleſiam revocat.

1. NOn ſoli ex Proteſtantibus Calviniſtæ, verum & Lutherani quidam hanc Eccleſiæ orthodoxæ Notam faciunt, ut *obedientia erga Miniſterium conſtans ſit.* Nonnulli exigunt obedientiam verbi Dei, ſeu legis divinæ. Acceptamus & hanc conditionem, ut juxta illam utriuſque partis religio, & Eccleſiæ veritas expendatur. Et verò neſcio, an aliqua inter Notas rectius ab adverſariis aſſignata ſit. Certiſſimum eſt, hanc obedientiam, tam erga Miniſtros Eccleſiæ, quàm legem ipſam à Deo in Eccleſia requiri: *Qui novit Deum*, ait Joan. 1. Epiſt. c. 4. *audit nos, & qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis & erroris.* Quod ſive de Apoſtolis tantum eorumque ſcriptis, ut volunt Proteſtantes, ſive etiam de

univer-

universis in ministerio Ecclesiæ successoribus, ut est verius, intelligas, propositum nostrum evincit. De priori obedientia laudat Apostolus Romanos c. 6. v. 17. *obedistis ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis*, obsequendo nimirũ Evangelio & legi traditæ. De altera obedientia Præpositis Ecclesiæ debita Hebræos admonet c. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et Christus ipse in obortis erroribus & dissensionibus ad Ecclesiæ judicium omnia vult referri, eique fine contradictione præstari obedientiam, ut *si quis Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus habendus sit*: qua censura jure impellimur, ad obdientiam legi divinæ & Ecclesiæ Præpositis exhibendam.

II. Reliquum est, ut videamus, apud quos hæc veræ Ecclesiæ Nota potissimùm reperiatur, ut ex illius agnitione ad orthodoxam reducamur Ecclesiam. Et 1. quidem, si de obedientia legi divinæ præstanda quæstio fit: palam est adversarios fateri hanc in sua Ecclesia talem, qualem lex ipsa requirit, non inveniri; cùm lex non exigat nisi opera sancta & immaculata; at Protestantium Ministri tradunt, hæc sibi suisque impossibilia esse, eò quod originalis concupiscentiæ vitio universa legis opera sentiant inquinari, ut in Concordia suo loco vidimus. Fatentur igitur hanc sibi obedientiam legis, quæ divinæ voluntati conformis sit, deesse. Non obediunt ergo legi, sed cum difformia legi opera exercent, reluctantur. Bonum enim ex causa integra, malum ex quolibet defectu est.

Jam quemadmodum Ministris suis totique Ecclesiæ obsequantur manifestum est; cùm in rebus ad fidem conscientiamque pertinentibus cuilibet suorum subditorum integrum esse sentiant, ut ex S. Literis dijudicet, an cum verbo aut lege Dei consentiant, quæ de religione ac moribus seu credenda seu facienda præscribuntur. Ita fit, ut interpretatio legis arbitriumque, & judicium ultimum de suis Ministris, atque ipsa etiam Ecclesia, subditis relinquatur, obsecuturis si ex verbo Dei ingenio vulgi discusso videatur. En præclaram obedientiæ rationem. Et verò ipsa experientia ususque docet, quæ sit reverentia subditarum ovium, erga suos hosce Pastores. An his viri Principes, an potius ipsi Principibus cogantur in rebus ad fidem, & Ecclesiam spectantibus obsequi. Nescio enim quem Ministri in articulis rerum credendarum vereantur superiorem, præter secularem apud se Principem, Postquam sacrorum Pontifices,

in veteri novoque testamento notissimos rejecerunt. Novimus quorum autoritate in Saxonia, & non ita pridem in Hassia dissidentes in religione conspirare coacti sint, & quantum Ministris profuerit Scripturarum clypeum suis opinionibus obtendisse, quemadmodum ipsi inter se, & cum una Ecclesia universali cohæreant. Neque censeo operæ pretium esse, ut pressius hanc rem excutiam, quando luce meridiana clarior hæc illorum in Ecclesia anarchia est, si cum monarchia Ecclesiæ Romanæ conferatur, quæ licet toto orbe sparsa longè perfectiore in rebus credendis unitate coalescit, obedientia ordinatur, concordia fruitur, quàm in uno aliquo terrarum angulo vel minima Protestantium Ecclesia. Agamus de Calvinianis, quis Hollandos cum Anglis, cum Remonstrantibus Contraremonstrantes satis componet? Inter Lutheranos, quis Rintelenses, Wittenbergenses, Calixtinos una in fide colliget, nisi Princeps sit, qui uno omnes imperio ad obediendum constringat? Nulla partium alterius hic partis Ministros reverebitur. In Romana Ecclesia vidimus nuper sectam quandam Jansenisticam caput erigere, quis horum caussam excussit, damnavitque? quis refractarios ad obedientiam revocavit, nisi Romana Ecclesia? unum hic, exteræ etiam nationes summum reverentur & intuentur Ecclesiæ gubernandæ caput ac Pontificem. Quidquid ille cum potiori Ecclesiæ parte sentit decernitque, huic passim fideles subditi norunt esse obsequendum. Jam illa diversorum in Ecclesia ordinum mutua observantia, quam illustre Ecclesiæ Romanæ ornamentum est! Pastores Episcopis, hi Archiepiscopis, illi Primatibus, omnes cum his Pontifici præstant obedientiam.

III. Ipsimet adversarii nostri ut ex cap. 13. supra traditum est, coguntur insignem hanc erga Romanam Sedem observantiam omnium, jam in prima Christi Ecclesia usitatam, atque ad nos usque transmissam agnoscere: ut si ex obedientia veri Ecclesiæ filii dignoscendi à spuriis sint, manifestissimum sit Protestantibus ad Catholicam Romanorum Ecclesiam redeundum esse. Porrò quod soli Protestantes Romanæ inprimis sedi obstrepant atque obluctentur, quam plurimæ toto orbe sparsæ reverentur Ecclesiæ, & tanquam membra capiti socientur, hoc ipsum non inane nobis argumentum est, veritatem illa in cathedra reperiri, cum ad hanc præcipuè oppugnandam omnium ætatum locorumque hæresis conversa semper fuerit, quæ seipsam maximè prodidit, cum hanc cœpit oppugnare, quod veritati nihil magis, quàm falsitas possit adversari. Unde sic hæreticum

reticum D. Augustinus contra lit. Petiliani lib.2.c 51. alloquitur. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet : vel Ecclesiæ Hieros. in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannnes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam. Si propter homines quos putas legem loqui & non facere. Nunquid Dominus I. C propter Pharisæos, de quibus ait, dicunt & non faciunt, Cathedram, in qua sedebant, ullam injuriam fecit?* Imò ad obedientiam, non ad secessionem illos exstimulavit, *super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis facite.* Hoc & sancti Patres, quicunque hujus sedis Pontifices suis perstringere scriptis leguntur, sibi faciendum esse duxerunt; ne propter humanos quorundam hominum lapsus autoritatem sedis divinam negligerent, debitumque ipsi obsequium negarent. Agite Domini Protestantes date rationem, quare Lutherus vester aut Calvinus, aut si quis alius, cujus ductum malè sequimini, debitam obedientiam primus detrectarit, atque hanc Christi admonitionem contempserit? Quod si nulla vos exceptione Christus ab hac exemit observantia Date gloriam Deo, & à quâ, sine justa causa discessistis Ecclesiâ, ad hanc, justâ curâ salutis vestræ, divinique honoris, redite.

IV. Obligari vos haud difficulter ex ore & Confessione vestra Augustana art. 21. convincam. Ubi sic profitemini Ecclesiæ Romanæ integritatem, adeóque illam legitimam matrem dominamque vestram agnoscitis: *Hæc summa est doctrina quæ in Ecclesiis nostris traditur, & consentaneam judicamus & Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ & Catholicæ Ecclesiæ, postremò etiam Romanæ Ecclesiæ, quantum ex probatis scriptoribus nota est.* Ex quo sequitur juxta vos Romanam Ecclesiam conformem quoque esse Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ, adeóque orthodoxam esse ac fuisse Ecclesiam, cui iccirco omnem etiam debeatis obedientiam, & si quis illam ex vobis non audierit, tanquam Ethnicum & Publicanum habendum esse.

Videant igitur quemadmodum Lutherum ejusque Sectarios ab hac vindicare nota possint, cùm is primus solusque de fide sola justificante, operum bonorum inquinamento, ac legis explendæ impossibilitate aliisque non levibus religionis argumentis contra hanc pugnare ausus sit, judiciumque sibi in illam arrogare cujus ipse autoritati judicioque subjectus erat.

Denique

Denique obligati vos ad obedientiam illi saltem Ecclesiæ præstandam, cui Patres & Majores vestri in Germania autorati primum Sacramentum fidelitatis, abjurato Satana, dixerunt, quis æquus æstimator negabit? Nisi fortassis tam in Christum sitis injurii, tam in parentes vestros impii, tam contra ipsum Dei verbum irreverentes, tam contra rationem propriam pertinaces: ut negare audeatis Christum hos populos ab idololatria ad veram fidem Ecclesiamque vocasse: parentes à gentium idololatria ad papismi idololatriam transisse, verbum Dei illis prædicatum non fuisse; sed autoris omnium hæresum Dæmonis: ante denique Majores vestros fuisse hæreticos quam orthodoxos. Ubi ergo mansit hæreditas Christo promissa: *Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ?* An Christo apud Majores nostros locus nõ fuit? an Germani, imò an omnes quotquot septimo & sequẽtibus seculis ad Christũ conversi, non ad fidem, sed de gentilismo ad perfidiam transierunt? Statuo enim compertissimũ ex omnibus rerrò historicis esse, quod Germani per Monachos aut Romanæ religionis Episcopos magna parte conversi eâ receperint, quæ hodiedum de cultu Sanctorum, de sacrificio Missæ, defunctis, Sacramentis, aliisque in Romana Ecclesia à Protestantibus damnantur. Quod si tamen ut fas est, pro orthodoxis Majores suos agnoscant, jam & eorum audire ac sequi Ecclesiam necesse est, eaque, qua par est obedientem filium veneratione ejus leges & decreta excipere. Hoc facite, & vivetis.

CAPUT XVII.

Protestantes ex Notis veræ Ecclesiæ à Niceno symbolo assignatis ad Romanam reverti tenentur Ecclesiam

NOn est mihi propositum ex Notis veris quas Catholici suæ tribuunt Ecclesiæ Protestantes ex professò erroris convincere, quando & alibi in meo *Augustino Controversiarum hujus ævi arbitro*, illud præstitum est, sine ullo hactenus contradictore: & tam manifestè ab aliis evictum fuerit, imprimisque à DD. Walenburgicis de unitate Ecclesiæ, & P. Forero contra Molinæum, ut soli facem hac in re additurus videar; mihique in hoc loco satis esse possit, quod ex suis Adversarios Notis tam invictè ex erroribus protraham, ut, nisi sequantur conconfusi damnatique sententiâ propriâ æternum mansuri sint.

Si

Si tamen & hoc loco brevissimè ex propriis illos quoque principiis ad veritatem instruam, gratiæ opinor loco accepturi sunt.

„ Nobiscum ex Niceno symbolo fatentur & credunt *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*: nec diffitentur illam Christi esse Ecclesiam, ubi hæc signa, præsertim inter se conjuncta, deprehenduntur. Nam etsi quodvis illorum non sentiant esse tale, quod tanquam Nota quarto modo propria conveniat, quæque omni, soli, ac semper, & per se insit: tamen ubi universè hæ concurrunt Notæ, illic veram reperiri Ecclesiam in confesso est? Quæ nobis in præsenti lite absolvenda sufficere poterunt. Non sint proprietates ex quibus affirmatè possis concludere: ut e.g. hæc Ecclesia *una* est, vel *Catholica*, ergo in fide est orthodoxa (nam & gentilismo fortè ac mahometismo hæc queant competere) quod si tamen adjeceris, *sancta* vel *Apostolica*, repentè valebit conclusio. Iterum si negantèr argumenteris, ex singulis etiam Notis valebit consequentia: ut, non est Ecclesia una: ergo nec orthodoxa: non sancta &c. Sufficiet igitur ex communi sensu nos reperisse accidentalia quædam Ecclesiæ signa, ex quorum indiciis infallibili collectione deprehendamus inter Christianos (nam cum gentibus & Judæis hæc disquisitio non suscipitur) orthodoxam Ecclesiam: sicut sufficit nos, ex accidentibus pomi, quibus à pyro distinguitur, (licet non perspectis proprietatibus) illius naturam posse separare, neque periculum esse, ut in hoc judicio fallamur.

„ Primum igitur sic arguo. Ecclesia quæ non est una, non est vera Christi Ecclesia; sed Protestantium una non est. Ergo &c. Unam esse debere Ecclesiam colligitur ex variis S. script. locis Cant. VI. 8. Prov. VI. 16. 19. Ps. LV. 9. Oseæ X 2. Luc. XI. 17. Joan. XVI. 11. I. Cor I. 10. & XIV. 33. Hebr. V. 7. & X. 25. Eph. IV. 3. Phil. I. 27. & II. 2. I. Petr. III. 8. Act. IV. 32. & L. 14. Lutherus agnoscit idem consentitque. Sic enim habet tom. 3. Witt. in Ps. 5. f. 166. *Regnum in se divisum non stabit, nec haeretici unquam vi aut arte, sed mutuis dissensionibus perierunt. Nec aliis armis Christus Dom. contra illos pugnat, quàm immittendo iis spiritum vertiginis & dissensionis.* & Palatini in admonitione Neustadiensi pag. 138. *Bene*, ajunt, *dixit Seneca de Vita Beata* c. 8. *Virtutes ibi, ubi consensus & unitas. Dissident vitia.* Jam ipsis ego hoc Protestantibus expendendum relinquo. Ubinam major unitas? in illane, quæ Romanæ sedi toto orbe adhæret Ecclesia? an in illa, quam in Germania Lutherus auspicatus, in non magno Europæ septentionalis sparsit angulo? Quot obsecro hæc

in Ecclesias sese mutuo damnantes, in rebus ad fidem salutemque necessariis, inter unius ævi angustias divisa est. Certè jam diu Georgius Major in oratione de Confusionibus dogmatum, *Objiciunt*, ait, *nobis Papistæ scandala & dissensiones. Fateor quidem talia esse, ut inde simplicium animi commoveantur, tententur, perturbentur, & planè dubitent ubinam veritas inveniri possit, & an vera Ecclesia usquam restet.* Nolo hic sectarum ex uno Lutheranismo pullulantium, & fidem Ecclesiamque separantium meminisse. Quæ si in Germania, Polonia, Hollandia, Anglia seu Europa sola enumerandæ essent, integrum volumen explerent. Cum in Romana Ecclesia toto orbe divisa, nec unica quidem secta constans pertinaxque in opposito illi fidei articulo, vel per annum queat subsistere. Aut consentiendum, aut excedendum. Expendant obsecro quot sint Protestantium in fide metamorphoses, Lutherani passim ad Calvinistas, hi ad Indifferentes aut Quakeros, hi ad Atheos deflectunt, & cum Religionem omnem amplectuntur, retinent nullam.

III. Secundò rursum argumentor. Ecclesia quæ non est sancta, non est vera Dei Ecclesia. Protestantium sancta non est. Ergo &c. Possem hic duorum testimonio rem conficere: ut Lutheri in Postilla 1. Domin. Adventus, dum inquit: *Magis nunc homines avari, immisericordes, impuri, obstinatiores, & peiores, quam ante sub papatu erant*: Tum Calvini lib. de scandalis pag. 118. 127. *Cùm*, ait, *tot hominum millia abnegato papatu cupidè, ut videbatur nomen dedissent Evangelio, quid præ se major pars tulit, nisi ut excusso superstitionum jugo solutius in omnem lasciviam deflueret?* Et si talis hæc Ecclesia in suæ reformationis cunis fuit, quid de magis adolescente exspectandum? Verum hic præcipuè de ipsius doctrinæ sanctitate agitur, cum etiam inter Angelos prævaricatio reperta sit. Hanc igitur, ut expendant Protestantes, desidero. Nolo hic prolixius repetere quæ in part. 3. Concord. præm. 3. per quædam doctrinæ capita signavi. Meminerint Christi disciplinam esse *jugum suave, & onus leve*, quod talia mandara legis, quæ impleri nequeant, non possit complecti: rursum noverint; non esse desperandum, quasi nihil à nobis boni operis, quodque lethali concupiscentia infectum non sit, queat exspectari: *cum omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*, neque iccirco laxent concupiscentiæ frena, quasi nequeat stringi & contineri, jubemur enim *intrare per portam angustam, quia lata*

porta

porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Mat: 7. Monemur *deponendum omne pondus & circumstans nos peccatum,* Hebr.12.v.1. Hoc verò quemadmodum præstabunt, qui cum Protestàntibus sentiunt in omni nos bono opere concupiscentiis inquinato peccare; impossibilia esse præcepta Dei, sola nos fide, & apprehensa per illam Christi justitia & satisfactione justificari, & pro delictis omnibus satisfacere? Quocirca orationes nostras, jejunia, eleemosynas , afflictiones , confessiones scelerum coram sacerdote, pœnitentiasque ab eodem susceptas expletasque, castigationes carnis, & cilicia, crucisve alterius cùm Domino succeptæ onus, quantumvis Christi exemplo & passionis ipsius meritis subnixa (ut ipsius amore ad hæc præstanda quivis bonus impellitur) nihil ad justitiæ satisfactionisque meritum per Christum impetrandum conferre, solam fidem, licet operibus junctis, præstare omnia. Qua de causa, illa pœnitentiæ & afflictionis opera, quàm sedulò à suis Prædicantibus pro concione inculcentur, quamque in eorum Ecclesia vigeant, ipsimet sibi Protestantes certissimi testes futuri sunt; Cum interea Catholica Ecclesia his exercitiis pietatis, crucique Christi addicta, censeat se illius meritis tum maximè fruituram, cùm per hæc opera ipsius sese vitæ exemplo quàm proximè conformarit: memor comminationis istius , *qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

IV. Jam verò nullum esse quod renatis imputetur, nisi infidelitatis peccatum , imò ne hoc ipsum quidem in illis qui verè renati sunt, juxta plerosque, esse possibile, quantam semel de sua salute persuasis adfert peccandi licentiam! Horrent audire aures: homicidia & adulteria verè Protestantibus non imputati; contra levicula etiam mendacia, si graviora absint scelera, in Romanæ fidei hominibus æternis suppliciis inferorum plectenda. Illos amittere gratiam Dei nunquam posse; hos, ut malè renatos, nunquam admittere. Illos sola fide de æterna felicitate securos; hos nulla operum sanctitate huc posse, per implorata Christi merita, eodem conniti, atque ex destinato sibi inferno evadere. Ubi jam illius dicti veritas. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos?* Matt.7. Quorsum David, in lacrymis, in cilicio, in cinere? quorsum Apostolus tam severus sui corporis castigator? quid tot sancti sanctæque Dei hodiedum tot afflictionibus & pœnitentiis macerantur? Ubi illi in Ecclesia Protestantium Benedicti in spinis, Francisci in stigmatibus, Augustini in zelo, Bernardi & Thomæ Aquinatis in castitate? Citius hic re-

H periası

perias, ex istius etiam religionis antesignanis, qui cum Luthero doceant consecratas Deo violare virgines, & laudent Bezæ cum amasiis vitam; quàm illorum rigorem probent, aut imitentur. Nil exprobro, nisi quod propriis per ipsos scriptis consignatum est. Ceterum Lutherum Protestantium ducem, ipsimet religionis consortes, Zvvinglius, Carolostadius, Melanchthon, Calvinus Oecolampadius Mathesius, Peucerus, Lavaterus, Schleidanus, Hospinianus, Sturmius aliique, suâ sanctitate, quâ doctrinam novam probant, ita opinor describent, ut nostris historicis Cochlæo, Vlenbergio, Pistorio, Ræmundo opus non sit. Quin ipse Lutherus seipsum tot locis describit, ut alio encomiaste vix opus sit. Ita tom. 1. epist. ad Philippum fol. 334. *Ego*, inquit, *qui fervere spiritu debeo, ferveo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia, &c.* Et fol. 345. *Sufficit quod agnovimus divitias gloria Dei, qui tollit peccata mundi. Ab hoc non avellet nos peccatum: etiamsi millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Rara & portentosa fides! de Calvini sanctitate nil memorabo, illud solum à Protestantibus sciscitabor; unquamne intellexerint, rem talem in Ecclesiæ reformatione, qualem Luthero Protestantes tribuunt, præstitam absque singulari vitæ sanctimonia, & vitæ ad Christi exemplum institutione? Et si hanc in Luhero non reperiant, quomodo iste ductor potius, quàm seductor habendus sit? Recolant obsecro illud Christi, *ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Jam verò cum fide vera & vitæ sanctitate jungi etiam miracula in Ecclesia cernimus, quod nobis pluribus per omne ævum exemplis probare in promptu est, quàm dies, imò horæ, sese offerunt in anno. Sed hæc videlicet omnia vos dæmoni imputabitis, dicetisque idem, quod Judæi Christo, *in Belzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*: At nos rectius Nicodemum loqui sentimus: *Nemo potest hæc signa facere, nisi Deus fuerit cum eo.* Job. 3. & securi cum Richardo de S. Victore lib. 1. de Trin. cap. 2. in supremo judicii die dicturi sumus: *Domine, si error est, à te decepti sumus. Ea enim in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, qua non nisi* (ad probationem fidei) *per te fieri possunt.* Testatus enim mihi es, ô Domine, quod *signa eos qui crediderint, hæc sequuntur.* Quare apud me conclusi Protestantes aliosque sectarios non habere veram Ecclesiam, quia signa à te promissa, ut sunt ejicere dæmones, ægros impositis manibus sanare, &c.) eos non sequuntur. Vos ego ipsos huic judicio interesse patior, Domini Protestantes,

an talem vos Catholicum vestro potestis suffragio in fidelitatis damnare?

V. Tertio sic urgeo. Ecclesia quæ Catholica non est, heterodoxa est. Protestantium non est Catholica. Ergo. Agnoscunt vim hujus argumenti Protestantes, ideoque conantur omni studio hoc sibi nomen vendicare, uti & Augustinus jam olim hæreticos descripsit tom. 6. de utilit. credendi c. 7. *Christianorum* inquit *cum sint hæreses plures, atque omnes se Catholicos dici velint, aliosque præter se hæreticos nominent &c. una est Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsæ singula propriis vocabulis quæ negare non audeant appellentur.* *Ex quo intelligi datur judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen quod omnes ambiunt tribuendum,* Diceres Augustinum nostris dum hæc loquitur interesse temporibus: aut nos dum sic vivimus interesse ipsius. Nec existimem Protestãtes hic me indigere interprete ipsos, si nullius rei gratia mentem obfuscat, Augustinus constituit arbitros, & ego relinquo Quid verò est cur hæreticorum Ecclesiæ Catholicæ dici nequeant, Romana possit ac debeat? Idem solvat Augustinus, qui tom. 10. de temp. serm. 131. *Catholicam dicit Ecclesiam* (loquitur de symbolo) *quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideò Catholicæ non dicuntur, quia per loca atque suas quasque provincias continentur, hæc vero à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Instant hic Protestantium aliqui, satisque esse asserunt, suam Ecclesiam omnibus gentibus apertam, secus quam synagoga quæ solis Judæis patuit; alii dicunt, & suam Ecclesiam electorum invisibilem toto orbe diffusam esse: alii ajunt doctrinam suam universalem esse, atque illam, quam toto quondam orbe Apostoli sparserint, adeo hodieque nomen Catholicorum affectant. Sed D. Augustinus adhuc luculentius eosdem ex communi veteris Ecclesiæ orthodoxæ sensu confundet tom. 2. Epist. 170. ad Severinum. *Facile tibi,* inquit, *est attendere, & videre civitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi non potest, Unde* καθολικὴ *græcè appellatur, quòd per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; adeò secundum verbum Domini N. I. C. abscondi non potest.* Hæc latius Ep. 161. ad Honoratum ex S. literis ostendit ac tuetur. Hic vides de Ecclesia agi visibili, quæ magna claritate toto orbe diffusa cernitur, ut, contra hæreticorum in angulo orbis latentes, manifesta, vulgi etiam oculis offeratur: ut sint cæci, qui tantam lucem

non videant. Non igitur excludimus ab hac Eccleſia electos toto orbe diffuſos, non doctrinæ Apoſtolicæ univerſitatem, non temporis ab Apſtolis continuati ſeriem; verùm & locorum ac gentium quod maximè S. literæ Pſal. 2. Mat 24. & Luc. 24. Rom. 1. & 15. ac Cor 15 ab. Auguſt. Ep. 161. citatæ urgent univerſitatem requirimus. Deus enim *vult omnes ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. 1. Tim. 2. quod fieri non poſſet, Eccleſiâ in angulo recluſâ, aut inviſibili electione ſolum toto orbe ſparſâ.

VI. Et certè nec ipſi Proteſtantes hanc poſſunt veritatem diffiteri. Nam ubi veri credentes, ibi interna vocatio ac fides, ibi demonſtratum à nobis abunde eſt, prædicationem puram verbi Dei, uſum Sacramentorum & obedientiam Dei verbo debitam non potuiſſe deeſſe. Illa igitur ſi ſemper & ubique toto orbe ſparſa fuerint, & hæc fuiſſe neceſſe eſt. *Hæ notæ*, inquit VVilletus, in ſynopſi p. 71. *abeſſe ab Eccleſia non poſſunt. Neque enim amplius Eccleſia eſt, ſi has notas non habeat.* Cui Hyperius in Methodo Theol. p. 548. Polanus Partit. Theol p. 304. Kekermannus Syſtem, Theol. p. 408. Melanchthon in loc. com. p. 345. adſtipulantur: & Calvinus denique Inſt l 4. c. 1 §. 4. *Quia nunc* ait, *de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, diſcamus vel uno matris elogio, quàm utilis ſit nobis eius cognitio, imò neceſſaria: quando non alius eſt in vitam ingreſſus; niſi nos ipſa concipiat, in utero, niſi pariat, niſi nos alat.* Unde palam erit, ſi doctrina Chriſti, electique toto orbe ſparſi fuerint, viſibilem quoque Eccleſiam, inſtruentem alentemque verbo & Sacramentis ſibi creditos fideles, neceſſariam fuiſſe: quando non alius patuit acceſſus ad vitam, Ex quo etiam manifeſtum eſt, quam craſsè hallucinentur ſibique contradicant Proteſtantes, quando ante Lutherum ad Huſſitas, aut VValdenſes, tamquam viſibiles Eccleſias confugiunt; cùm hi ſolum angulum aliquem Europæ occuparint, ut nemo unquam illos inter Catholicos numerarit. Quare nonnulli cum hoc loco ſe tueri nequeunt, aliò ſe convertunt.

VII. Sunt qui ad orientales Græcorum Eccleſias confugiant, ſed his ex Edæino Sandis Calviniſta Anglo in Relat. de ſtatu Relig. per occident fol. 6. à fine Reſp. *Conſentit Græcorum Eccleſia cum Romana in adſertione transſubſtantiationis, & generatim in ſacrificio, & toto ritu Miſſæ, Invocatione SS. Confeſſione auriculari, in oratione & oblatione pro defunctis, purgatorio, & imaginum adoratione.* Quare hoc Proteſtantibus hoſpitium occlu-

occlusum est, ut & ipsi alias, cum probro rejecti, didicere.

Docent igitur alii ex Protestantibus Romanam toto orbe fusam esse Catholicam illam Ecclesiam, quam profiteantur, seque in illa ut partem contineri; eo quòd in fundamento salutis nobiscum conveniant, in solis tantùm abusibus & non necessariis articulis dissentiant, propter quos licet à nobis arceantur, immerito tamen, neque sua voluntate segregari: unde Confessionem August. c. 21. ajunt profiteri, *quod tota dissensio sit, de paucis quibusdam abusibus*. Hoc & Rex Angliæ Jacobus in epist. Mon p. 148 adstruit: videlicet Papistas *veteribus veræ, antiquæ, Catholicæ & Apostolicæ fidei fundamentis adhærescere*. Sic & Covellus in Apol. Hookeri. Pol. p. 68. *Affirmamus membra Eccl. Rom. membra esse vera Ecclesiæ Christi & qui in illa Ecclesia vivunt & moriuntur, salvari posse*. Nec illud diffitetur Lutherus in locis diversis: ut in cap. Gen. 25. & 28. &c. ac Calvinus in 2. Thessal. c. 2. v. 4. ubi Ecclesiam nostram, *templum Dei & ipsum Dei sanctuarium appellat*.

Verùm ex hac arce facilè deturbantur. Nam si Romana Ecclesia orthodoxa est, in articulis ad salutem necessariis, summæ amentiæ est sese illi tam aperta rebellione opponere, neq; suam filios audire matrem; ideoque vel hoc solo nomine à Christo damnari, qui Ecclesiam non audientem cum ethnicis proscribit. Iterum, si veritatem asserunt, & nil præter abusus quosdam agnoscunt, quos sive sequaris, sive negligas salutem non impediant: adhuc melius erit parere, quàm obedientis detrectare officium; cùm obedientia ministris Ecclesiæ præstita, sit nota fidelis subditi, obtrectatio infidelis. Deinde, hoc in casu amplecti usum, & abusum tolerare satius esset, quàm manifestè repugnare, *melior est enim obedientia, quàm victima*. 1. Reg 15. Denique si Ecclesia Romana est orthodoxa: illi, quos damnat articulos tanquam veritati ac fidei divinæ contrarios, cum suis autoribus erunt heterodoxi. Justè igitur verèque damnantur Protestantes hæreseos, quia ob orthodoxa Ecclesia, ex illorum confessione, damnantur. Cum Augustino igitur tales dimittam lib. 1. de Bapt. c. 11. *Si nostra communio est Ecclesia Christi, non est Ecclesia Christi vestra communio. Vna enim est quæcunque illa sit*. Altare contra altare eadem non erigit. Agnoscit hoc è Protestantibus Fieldus l. 3 de Eccl. c. 47. *Certè*, inquit, *si probare posset* (Romanus) *nos confiteri, eam* (Romanam) *esse Ecclesiam, nullo alio argumento opus habet*. Nec ego ulteriori in manifesta adversariorum deliratione insistam.

VIII. Quartò & postremò sic insto. Ecclesia quæ non est Apostolica, seu ab Apostolis ad nos usque per successionem perpetuam deducta, hæc non est vera Ecclesia. Protestantium non est talis. Ergo. &c. Negant minorem propos. adversarii, dicuntque aliam esse successionem internam per veram fidem electionemque fidelium, tum deinde & successionem doctrinæ Evangelicæ apud illos in pectore conservatæ; aliam esse successionem externam Doctorum & Pastorum. Hanc non semper necessariam; illam se habere ac tueri. Sed frustra his se tenebris sperant posse occultari; cùm toto hanc tractatu falsitatem detexerim. Externa successio internæ jungenda tam certò est, quam certum, quod *fides ex auditu sit*. Porro adversarii cum ad successionem veræ fidei & doctrinæ confugiunt, turpi Philosophiæ ignorantia, petunt illud, quod probandum est, principium. Nam in quæstione est, utra pars ex verbo Dei veram illam tueatur doctrinam, quæ ab Apostolis Ecclesiæ est tradita? Quod verò nos illam tueamur probamus ex successione Doctorum & Pastorum, in eadem Ecclesiæ scholâ & cathedrâ, cui perpetuitas à Deo promissa est, nos docentium. Et hæc observatio ad excludendos hæreticos Ecclesiæ familiaris semper & constans fuit. Unde Tertul. l. de præscript. c. 37 contra Marcionitas & Valent. ait. *Qui estis vos, & unde venistis? Quo denique Marcion jure meam silvam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transvertis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo.* Sic cap. 32 ait *Edant ergo origines suarum Ecclesiarum, evolvant ordinem suorum Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit autorem & antecessorem.* Et Irenæus l. 4. c. 43. *Obaudiendos* ait *Episcopos esse, qui successionem tenent ab Apostolis, reliquos verò qui absistunt à principali successione suspectos haberi.* Sic Optatus Milev. l. 2. contra Parmen. *vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Et D. August. de util. cred. l. 17. *Dubitamus nos in eius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra circumlatrantibus hæreticis, culmen autoritatis obtinuit? cui nolle primas dare vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Rectè Athanasius, contra Euseb. de decretis Nic. Syn. *Ecce,* ait, *nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam hanc fuisse sententiam ostendimus; vos autem, O novi Iudæi & Caiphæ filii, quos tandem nominum vestrorum ostendere potestis progenitores?*

Optatus

Optatus Milevet. l. 2. contra Parmen. jure urget, *vestræ cathedræ originem ostendite.* Quam ergo, qualemque? Docebit nos Augustinus Ep. 165. *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro successit Linus &c. Damaso Siricius, Siricio, Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.* Et hodie dum sic loqui Augustinus poterit, Innocentio successit Alexander, & in hoc ordine nullus Lutheranus aut Calvinianus Episcopus. Ita eadem semper successionis fuga hæretici redeunt, eâdem responsione refelluntur. Cumque omnem lapidem moveant, ut hæc sedes, quæ illis petra scandali est, evertatur; omnes hæreses, quantumvis per ipsorummet Imperatorum suffragia potentes, ad imbellem, adeò si vires humanas spectes, lapidem franguntur. Ipse omnia conterit, atque in magnum etiam montem successit, obscurari nebulis potest, non occultari; impeti non subverti. Ceterum perpetuam in Romana Ecclesia Episcoporum & Doctorum successionem, quam nec Græcæ quidem Ecclesiæ, nisi confessos heterodoxos cum orthodoxis miscendo possident, nulla, præter solam Romanam Ecclesiam præstare potest. Nulla, præter hanc unicam Apostolorum Principes in vita ac morte fundatores obtinet: sufficiens in omni jure argumentum, quo ceteris præferatur universis. Quare cum D. Hieronymo contra Lucif. *brevem apertamque animi mei sententiam profero: in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hunc durat:* cùm nulla majori jure Apostolica dici possit.

Postremò igitur sic affirmatè concludo Ecclesia, quæ est una, sancta, Catholica & Apostolica, hæc sola vera est Christi Ecclesia; sed nostra, quæ toto orbe diffusa est Romanorum Ecclesia, est una, sancta, Catholica & Apostolica, Ergo hæc sola vera est Christi Ecclesia. Subsumo, atqui extra veram Christi Ecclesiam nulla est salus, ergo extra Romanam nulla salus. O cœcos & calamitosos, qui hæc non expendunt in tempore, ne sentiant in æternitate!

CAPUT XVIII.

Proteſtantes niſi ad Romanam Eccleſiam redierint, ab Auguſtino jam ex manifeſtis hæreticorum Notis damnati.

HAnc Theſin in meo olim Auguſtino probatam hoc loco inſerere rurſum lubuit, quod ſpero ex illius conſideratione, ſi qui adhuc Proteſtantium reſtitent, ſui erroris manifeſtè convincendos, & ad veram fidem ſalutemque reducendos eſſe. Certè Auguſtinus tam manifeſtis Notis deſcripſit hæreticos, ut mente cœcum obſtinatumque planè hominem eſſe oporteat, qui ex his diſcernere nequeat, utrum Romani, an Proteſtantes hæretici dicendi ſint? Ergo plenum hoc arbitrium ipſiſmet adverſariis deferre nihil verear.

Hæreticos igitur eſſe ſanctus Doctor ſtatuit.

I. QUi à communione univerſalis, quo ad locum, Eccleſiæ ſegregati in aliqua ejus parte ſeparata inveniuntur. Tom. 7. de unitate Eccleſiæ c 4. *Quicunque ab eius* (Chriſti) *corpore; quod eſt Eccleſia, ita diſſentiunt, ut eorum communio non ſit cum toto quacunque diffunditur, ſed in aliqua parte inveniatur, manifeſtum eſt eos non eſſe in Catholica Eccleſia.* Si manifeſtum, eccur ad ſolem cæcutimus?

2. Qui originem non referunt ad illam communitatem, quæ per ſucceſſiones Epiſcoporum à ſedibus Apoſtolicis eſt propagata. Tom. 2. epiſt 42. ad Maudrenſes. *Videtis certè multos præciſos à radice Chriſtianæ ſocietatis (quæ per ſedes Apoſtolorum & ſucceſſiones Epiſcoporum certa per orbem propagatione diffunditur) de ſola figura originis ſub Chriſtiano nomine, quaſi areſcentia ſarmenta gloriari, quas hæreſes & ſchiſmata nominamus.* Quinam illi? an orbis hos ignorat?

3. Qui aliquid novi in fide tradunt, quod in nullo Eccleſiæ Catholicæ Concilio eſt definitum. Conciliis ſeſe etiam adverſari poſſe ſentiunt Tom. 2. epiſt. 152. contra Donatiſtas Concilii decretis obluctantes. *Nulla jam excuſatio remanſit: nimium dura, nimium diabolica ſunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifeſtationi obſiſtunt* & tom. 7. de Bapt. contra Donat. l 7. c. 53. *Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt. Id autem fit cura ſecura vocis aſſerere,* quod

quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiæ confessione roboratum est.

4. Qui Catholicorum nomen commune frustra ambiunt, cum licet inviti, proprio ab aliis Ecclesiis vocabulo distinguantur, ut Arriani Eunomiani, &c. tom. 6. de utilit. cred. cap. 7. *Christianorum cum sint hæreses plures, atque omnes se Catholici dici velint, aliosque præter se hæreticos nominent, &c. Una est Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt; cum ipsæ singulæ propriis vocabulis quæ negare non audeant, appellantur, ex quo intelligi datur indicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, quod omnes ambiunt tribuendum.*

5. Qui Ecclesiam omnium gentium in Christo aspernati ab illa exierunt; ita, ut de illorum secessione omnibus constet. tom. 8 in Psal 106. *Dimisit eos in invio & non in via, quomodo enim in via homines qui partem tenent, & totum relinquunt? In omnibus gentibus salutare tuum. Utique tales, ut pauci fiant, hinc exeunt: à multitudine unitatis omnes exierunt, sicut paulò ante commemoravi, dictum est de illis* 1. *Ioan.* 2. *ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim ex nobis fuissent, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*

6. Qui veram omnium gentium Ecclesiam ita periisse asserunt, ut visa amplius non sit. tom 8. in Psal 101. Conc. 2. *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt* (Hæretici) *qui in illa non sunt. O impudentem vocem! illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non sis; nam illa erit, etsi tu non sis.* Et infra. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi.* Matth 28. *Sed hic existunt & dicunt vobiscum sum*, inquit, *usque ad consummationem sæculi, quia nos prævidebat, quia pars Donati erat in terra, &c.* Audire te hic ipsos Novatores crederes. tom. 9, in ep. Joan. tract. 1. *Quid amplius dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem* (*Dan.* 2.) *non vident. & qui contra lucernam in candelabro positam:* (Matth. 5.) *oculos concludunt?*

7. Qui spretâ aliorum autoritate ad solas S. Literas provocant easque se ingenio satis assequi confidunt, ac temere prout intelligunt, propugnant. tom. 6. contra Maximinum Arianum lib. 1. in princ. *Maximus dixit, si quid de Scripturis divinis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus. Hæ vero voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis*

 susci-

suscipiuntur, cum ipse Dominus moneat nos, & dicat : sine causa docentes mandata & precepta hominum. Isa. 29. Matth. 15. Et tom. 9. in Evang tract. 18. *Neque enim nata sunt hæreses & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia; nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Itaque charissimi valde caute hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus.* Audiendum potius, quam audendum, ubi tot suo judicio lapsi. quis fidat? qui amat periculum, peribit.

8. Qui Patrum & Majorum suorum in S. Scripturis interpretationem, tanquam fidei adversam aspernantur; & tamen eosdem tanquam hæreticos damnare non audent. tom. 7. contra Epist. Pelag. l. 4. c. 12. *Fides vera verèque Christiana, atque Catholica sicut per Scripturas S. antiquitus tradita, sic à Patribus nostris usque ad hoc tempus, quo isti* (hæretici) *eam convellere tentarunt, retenta atque servata, & deinceps propitio Deo retinenda atque servanda, &c. Quodlibet mutire audeant adversarii adversus sanam fidem Cypriani atque Ambrosii, non eos puto in tam magnum erupturos furorem, ut memoratos & memorabiles homines Dei audeant dicere Manichæos.*

9. Qui Ecclesiæ Romanæ in quâ primus Apostolorum sedit, Successores & Rectores non audiunt, licet in ea teneatur quod antiquitus fuit observatum. tom. 7. contra Julianum Pelag. l. 1. c. 2. *Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Cathol. Defensores atque Rectores, vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam. An ideò contemnendos putas quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes? &c. Puto tibi eam partem sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus glorioso Martyrio coronare, cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam nunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim vir ille Sanctus potuit Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?*

10. Qui ab antiquis Patribus & Doctoribus, per omnes Ecclesiæ ætates ante se disponente Deo repertis, nondum nati, tamen confutati sunt. Nec acquiescunt iis, quibus tamen nil minus, quam Synodis antiquissimis tribuendum esset. tom 7. contra Jul. l. 2. circa finem. *Nunquid Ireneus, Cyprianus, Retitius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Basilius, Ambrosius, & Ioannes de plebeia fece sellulariorum? &c. Isti sunt Episcopi docti, graves, sancti,*

sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates: in quorum ratione, eruditione, libertate (quæ tria bono Judici tribuisti) non potes invenire, quod spernas. Si Episcopalis Synodus, ex toto orbe congregaretur, mirum si tales illic facilè sedere possint, tot, quia nec isti uno tempore fuerunt; sed fideles & multis excellentiores. Paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum locorumque distantias, sicut ipsi placet, & expedire judicat, dispensat, &c. quanto tibi essent illi judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas, &c. quam contra inimicos etiam vos, tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissimè & fortissimè defenderunt, &c. Adversus autem hanc miserabilem, quam Deus avertat, insaniam sic respondendum esse video libris tuis, ut fides quoque adversus te defendatur istorum, sicut contra impios & Christi professos inimicos etiam ipsum defenditur Evangelium.

11. Qui sacræ Scripturæ interpretationem ab Ecclesiæ Catholicæ examine, ratione, & judicio, ad privatum suum examen pollicitatione solidæ rationis transferunt; cum tamen totius Ecclesiæ, & Conciliorum opposita ratio, privatam unius longè superet. Tom. 2. Epist. 56. ad Dioscorum circa finem. *Audent imperitos* (hæretici) *quasi ratione traducere, quando maximè cum ista medicina Dominus venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, ut dixi, quia jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum autoritas cum autoritate Catholica conferatur. Conantur ergo autoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista audacitas. Sed ille fidei imperator clementissimus, & per conventus celeberrimos populorum atque gentium, sedesque ipsas Apostolicas arce autoritatis munivit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos, & verè spirituales viros copiosissimis apparatibus etiam invictissimæ rationis armavit.*

12. Qui se nullum ad fidem premere, sed enodata veritate eam liberè omnibus offerre asserunt, cum Romani fidem ante rationem imperent. Tom 6. de utilit. cred. c. 1. Ubi docet Augustinus se hoc pacto ab hæreticis perversum esse. *Quid enim,* inquit, *me aliud cogebat ante annos ferè novem spreta religione, quæ mihi puero à parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione teneri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent, se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus*

nibus illiceretur præſertim adoleſcentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in ſchola Doctorum hominum diſputationibus ſuperbus & garrulus?

13. Qui ſimpliciter credentes reprehendunt, & ſcientiæ pollicitatione ad gratam carni doctrinam homines traducunt, ut hac eſca captos excæcatoſque detineant. to. 1. de Geneſi contra Manich l. 2. c. 25. *Omnes hæretici generaliter ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos ſimpliciter credentes invenerunt. Et quia omnino carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur.* Æſtiment qui hoc tempore Novatorum diſciplinam, cum Catholicis, eorumque jejuniis, auſteritatibus, Monaſticæ vitæ rigoribus comparant: quando ab iis ubique ad libertatem, & ſolam fidem, ac Chriſti opera provocatur, ut ſi ſine cooperatione, ſola noſtra in iis confidentia nobis cælum aperiat. Sola incredulitas peccatum ſit, cetera vitia quantumvis enormia credenti non imputentur, fornicatoribus, raptoribus, adulteris, homicidis, modò credant, fidantque Chriſti meritis, regnum Dei debeatur. Ut nulla gentilitas tam cæca unquam fuerit, quæ tantam, quantam hæc fides, obtulerit peccandi immunitatem. Et quo titulo ipſimet in ſuis audent plectere, quod Deus non imputavit? Non jam dicam, quod Eccleſiæ ac domus Dei vix ſemel in ſeptimana idque tempore exiguo pateant, apud Catholicos indies apertæ; quod grave pœnitentiæ onus ab illorum excuſſum ſit humeris; quod Chriſti quotidiana in Euchariſtia præſentia procul rejecta, ne hæc conſcientiam multorum ita rarò & parum reverenter accedentium, ſolicitet. Heu dolor! in quæ tempora incidimus! quæ mirum non eſt tot bellorum calamitatibus à Deo flagellari, atque utinam hæc flagella eſſent filiorum quos denique reciperet! Propiùs aliquantò idem Auguſtinus illud hæreticorum ulcus detegere poterit.

14. Qui Monaſteria & Monachorum inſtituta reprehendunt, tanquam nova inventa & indigna Eccleſiæ. tom. 7. contra literas Petiliani l. 3. c. 40. *Deinde perrexit ore maledico* (Petilianus hæreticus) *in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc vitæ genus à me fuerit inſtitutum. Quod genus vitæ omnino quale ſit neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit.* Et tom. 10. in Evang. Joan. tract. 97. *Xenodochia & Monaſteria poſtea ſunt appellata novis nominibus, res tamen ipſa & ante nomina ſua erant, & Religionis veritate firmantur, quæ etiam contra improbos defenduntur.*

15. Qui

15. Qui sanctimoniales à Monasteriis & promissa Deo continentia ad nuptias tanquam licitas avocant. tom.1.l.2. Retract. c 22. *Joviniana hæresis, sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur.* Et tom.6 de Adulter. Conjug. l. 11. c.15. *Illis quæ non continent, expedit nubere; & quod licet expedit: quæ autem voverint continentiam, nec licet, nec expedit.* Et ibid. cap.24. *Hæc ergo & si quæ alia rectissimè voverint, & cum homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt*, &c.

16. Qui certam ciborum abstinentiam, & quadragesimale jejunium, cum orationes pro mortuis cotemnunt, & cum quisque voluerit, libere jejunandum asserunt Tom.6. ad Quod vult deum hæresi 43. *Doluisse fertur* (Aërius) *quod Episcopus non potuerit ordinari, & in Arrianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla dicens: orare vel offerre pro mortuis non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege* Ib. contra Faustum l.30. c.5. *Christiani, non hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa propter animam ex irrationalibus motibus amplius humiliandum, non quod illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verùm etiam à quibuscunque terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci:* (in Monasteriis) *vel certis diebus atque temporibus sicut per quadragesimam ferè omnes.*

17. Quo dicunt idololatriam in cultu Sanctorum exerceri & miracula per illorum invocationem patrata, miraculis Ethnicorum comparant Tom.5. de Civit. Dei l. 22. c.10. *Nobis Martyres non sunt Dij, quia unum eundemque Deum & nostrum scimus & Martyrum. Nec tamen miraculis, quæ per memorias nostrorum Martyrum fiunt ullo modo comparanda sunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum. Verum si quæ similia videntur, sicut à Moyse magi Pharaonis, sic eorum Dij victi sunt, à Martyribus nostris. Fecerunt autem illa Dæmones eo fastu superbiæ, quo eorum Dii esse voluerunt, faciunt autem ista Martyres, vel potius Deus (vel orantibus & cooperantibus eis.) ut fides illa proficiat, quæ eos non Deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus.*

18. Qui mandata Dei cuilibet Christiano observatu impossibilia esse asserunt Tom 10. de tempore serm. 19. *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse.* Et Tom.7. de natura & gratia contra Pelag. *Non igitur*

igitur (ô Pelagiane) *Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et tom. 10. serm 61. de temp. *Nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est. Qui tergiversamur incessum? nemo enim quantum possemus melius novit, quam qui nobis ipsum posse donavit.*

19. Qui per opera liberi arbitrii hominem Christianum negant justificari, ut horum curam, solâ fide persuasa, adimant. Ita auctor Doctissimus Augustinus Hypogn. tom. 7 l. 3. post. med. *Audi havetice stulte, & inimice fidei & veritatis, opera liberi arbitrii bona, quæ ut fiant, præparantur per gratiā præventum, nullo liberi arbitrii merito, & ipso faciente, gubernante & perficiente, ut abundent in libero arbitrio, non damnamus: quia ex his vel hujusmodi homines Dei justificati sunt, justificantur, justificabuntur in Christo.*

20. Qui Ecclesiæ Christi Episcopos & Pastores audent sæculari potestati, & judicio subjicere, ad ignominiam Ecclesiæ Christi. tom. 2. ep. 162. ad Episc. Donatistas post. med. *Judices Ecclesiasticos tanta autoritatis Episcopos, quorum judicii & Caciliani innocentia, & eorum* (Donatistarum.) *improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè judicarint. Dedit ille aliud Arelatense judicium aliorum scilicet Episcoporum, non quia necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret; sed alios ut dixi, Episcopos dedit.*

21. Concludam, postquam duobus generalibus signis hæc, aliaque particularia complexus fuero. Unum intellectus, alterum corruptæ est voluntatis, illud arrogantis ignorantiæ, hoc invidiosæ malevolentiæ est soboles. Loquatur August. contra Faustum, tom. 6. l. 32. c. 19. *Videtis autem* (inquit hæretici) *id vos agere, ut omnis de medio scripturarum auferatur autoritas, & suus cuique animus autor sit, quid in quaque scriptura probet, id est, ut non scripturarum autoritati subjiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subjiciat, non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi autoritate scriptum legitur, sed ideo rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta, quo te committis?* Expendant jam adversarii,

sarii, quinam miseri hi sint, an illi, qui ex mente Patrum & Ecclesiæ S. Scripturas interpretantur, an verò, qui harum judiciis ultimo nolunt acquiescere, sed suo judicio ex S. Literis controversiam omnem postremo definiunt.

21. De hæreticorum malevolentia non obscurè idem tom. 2. in epist. 137. ad Hipponenses. *Hæretici non habendi, quod in causa suæ divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè jactant, ut cum ipsam divinæ scripturæ veritatem (quæ ubique diffusa Christi Ecclesia commendatur) criminare & obscurari non possunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt.* Legantur Novatorum adversus Catholicam ac Romanam inprimis Ecclesiam scripta, & quemadmodum gravissimorum scelerum, Idololatriæ & Antichristianismi insimulent: tum deinde horum veritas, ab homine partium studiis affectionibusque libero, ponderetur; neque obscurum erit ex quo fonte, atque à quibus hæc malevolentiæ eluvies oriatur. Illa passim scribendi rabies, qua illic præsertim, ubi ratione non licet, furore nos petunt, Christianæ modestiæ argumentum esse poterit. Quoties Coccejus, in brevi scripto, nullâ delata occasione, ad Papæ autoritatem sugillandam versus, nihil nisi suum odium prodidit? Quot unus Molinæus in Romanos Pontifices, atque ipsos etiam SS. Patres criminationis congessit, ut ab his fidelium Christianorum animos averteret. Et si quædam verè, cur tot falsis imposturis confusa veritas? cur ob quorundam vitia erroresque damnamus universos? In ipso Apostolico collegio reperti errores sunt lapsusque; an iccirco, vel universi, vel in universis damnandi omnes? Nemo asseret. Quin hoc decumanis signandum literis adjiciam. Tantò magis admirandam Ecclesiæ stabilitatem, quod errantes lapsantesque inter Duces Pastoresque suos, una tamen eademque in tradita semel fidei doctrina, perstiterit; neque summorum etiam error depravatioque capitum in totius transire corporis corruptionem potuerit, cum hactenus nec errorem quidem in fide unicum producant adversarii, quo corruptus Pontifex totum Ecclesiæ corpus infecerit: multò minus talem, qui exemplo sceleratæ vitæ universam in hujus societatem Ecclesiam traxerit. Nihil itaque, nisi odiis conciliandis, hæc exempla faciunt.

Jam verò postremum ego deprecor, ut si quibus fortè ulcus suum tetigero, ne hoc mihi tanquam inclementi medico, sed D. potius

potius Auguſtino imputent, qui tam diſertè locutus eſt, ut adverſarii & morbum ſuum intelligere debeant, ſi homines ſint, & curationem admittere, ſi ſalutis amantes. Maneſeſtiora hæc ſigna ſunt, quàm ut aboleri ullo attamento poſſint.

Audiant verò Apoſtolum Novatores toti ſeſe antiquæ Eccleſiæ novis atque inauditis ſcripturarum interpretationibus opponentes. *Si quis*, inquit, 1. ad Timoth. 6. *aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ; ſuperbus eſt nihil ſciens*, & infra. *O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Quinam illi? *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* 1. Joan. 2. Originem ſuam Novatores conſulant, qui qualeſque & unde prodierint? Nemo hæreticus niſi ab Eccleſiæ corpore, manifeſto ſenſu ac convulſione membrorum omnium, prodiit hactenus, an, & quando tali concuſſione Romana diſceſſit Eccleſia? tempus, cauſam, perſonas minimè dubias poſtulamus, & ejuſmodi, qualia Adverſariis apponimus, compertiſſimæ diſceſſionis argumenta. Quæ ſi in nobis ignorent, in ſe manibus etiam palpare queant, non erit, cur pacem ſalutemque amicè conſulentibus diutius obluctentur.



TRA-

TRACTATUS II.

EX SOLA SCRIPTURA SACRA Proteſtantes nullum articulum probare.

CAPUT I.

Proteſtantes nullum ſuæ religionis articulum per conſequentiam certam è ſacris Literis poſſunt demonſtrare.

EVici, opinor, Proteſtantibus ad Romanam Eccleſiam redeundum eſſe, ſi publicæ privatæque felicitatis amantes, pacem Fidelium, & ſalutem animarum ſuarum non averſentur. Quod ſi tamen vel propria cœcati ignorantiâ, vel malitiâ obdurati perire malint; quàm cedere: cumque ſcripturis ampliùs diſertis nequeant, perverſis interpretationibus, & concluſionibus pergant obluctari: Agedum paucis hæc illis arma quantumvis obtrectantibus eripienda ſunt.

Suppono hoc loco quæ ſuprà cap. 9. 10. & 11. oſtendi, Scripturam S. in multis ad fidem ſpectantibus, expreſſam non proferre ſententiam, niſi vel hominum verbo, per interpretationem aut conſequentias: vel tradito Dei verbo ab Eccleſiâ ejuſque Doctoribus ſuppleatur. Ubi enim illud manifeſtè deficit: alia nulla apparet ſententiæ expreſſè clareque proferendæ via. Cujus tamen pronuntiatio ita in Eccleſia eſt neceſſaria, ut ſine hac vulgus hominum interpretandi ac ſyllogizandi facultate deſtitutum, nullam omnino fidei normam (ut Proteſtantes loquuntur) ſit habiturum.

Arrigant hic aures Eccleſiarum Miniſtri, & percipiant quæ dico. Aſſero in articulis fidei neceſſariis, quos expreſſè, definitiſque certo ſenſu verbis, Scriptura non exhibet, verbo illos priva-

privatorum & fallacium niti hominũ, eique perinde ac verbo Dei debere acquiescere: nisi verbum Dei traditum per manus & os Ecclesiæ Romanæ Doctorum admittant.

Suppono secundò. Quòd interpretationes suas adversarii, quas ex Scriptura S & locis, ut ajunt, symbolicis adferunt, teneantur, in dubio, per legitimam quoque ex S Literis probare consequentiam: nisi aliam Scripturam S. expressam suæ interpretationis normam exhibeant, quam tamen si habeant, supervacua interpretatio erit; quia expressa Scriptura ad credendum sufficiet. Ratio illius est, quòd cùm multa interpretationem incertam reddant, ut æquivocatio, restrictio vel amplificatio vocum, tropi ac figuræ: sensus deinde cùm proprii, tum mystici plures, sententiæ diversorum interpretum diversæ, infinita penè varietas verborum & sententiarum in Scriptura S. ad quæ instituta comparatione transiri, & per quæ exponi ab aliis aliisque ingeniis aliter potest; præsertim si ad originalium linguarum variam interpretationem recurratur, neque certa aliqua translatio communi consensu recepta sit. Quare, ut in tanta diversitate quid anceps, quid securiùs, quid certum sit, cognoscatur (cùm Scriptura expressa definiens has controversias desit) ad consequentias utique ex S. Literis ducendas ultimò deveniendum est. Ideòque in ejusmodi consequentiis totum denique præsidium Protestantium est constitutum.

In his igitur consequentiis ex Scriptura formandis si illos subsistere non posse, vel in uno fundamentali fidei articulo, ostendam, nullum eis effugium reliquum est, nisi ad Romanam sese Ecclesiam recipiant, verbumque Dei traditum in illa agnoscant ac venerentur. At ego, non in uno, sed pluribus eos deficere, haud difficulter evicero.

Paucis exemplis rem hanc breviter adversus Protestantes conficiam. I. Credunt illa, quæ ab Athanasio in symbolo de SS. Trinitate tam circa personarum distinctionem, quàm naturæ divinæ, ejusque attributorum æqualitatem proponuntur, de processionibus item divinis, Christo à Patre ab æterno genito, Spiritu sancto ab utroque, non genito, sed procedente, nec tantùm ab alterutro. Hæc aliaque Protestantium nemo per infallibilem ex S. Literis consequentiam, seposito hoc verbo Dei tradito, potest evincere. Postulatum hoc ab illis sæpius est, nemo tamen præstitit, Scriptura etiam nonnullis locis videretur suadere oppositum, nisi Ecclesia nos aliter docuisset. Nam si Christus dicit: *Pater major me est*, sine exceptio-

ceptione: cur non sequatur, ergo Christus est patre minor? Si dicit: *Ego & Pater unum sumus*, cur non æquè in persona, quam natura? aut, cur non potiùs in charitate & affectu, quam natura; cùm alibi precetur, ut *nos unum simus cum ipso, sicut ipse unum erat cum Patre*? Promant infallibilem, quæ hæc destruat, illa adstruat consequentiam, quam ratiocinio pari adversarii nequeant elidere.

II. Credunt infantes rectè baptizati, & hæreticorum Baptismum non esse iterandum, esse solum signaculum gratiæ à Deo per fidem collatæ, non verò conferre gratiam. Cùm tamen Act. 2. dicatur *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: Et 1. Petri 3. *Quod & nos nunc similis forma salvos fecit Baptisma.* Negant quoque plures ex Protestantibus Baptismum aquæ ad salutem, nec in voto quidem, requiri: contra Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Negant omnes Deo renasci, & Christo per Baptismum conjungi? sed illos solùm, qui electi sunt: contra Galat. 3. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Negant aliqui Baptismum Christi à Baptismo Joannis distingui: contra Joannis ipsius testimonium Marc. 1. *Ego baptizavi vos aquâ; ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.* Et Act. 19. ubi baptizati Joannis Baptismate, rursum à Paulo *baptizati sunt in nomine Domini Iesu*: extraque eandem Scripturam negant, sufficere, siquis baptizetur tantùm *in nomine Iesu*. Sed cur hæc minùs (sepositâ traditione) probetur forma, quàm illa Christi: *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Matth. 28. Poteruntne hic jure Protestantes adversus sententias Scripturarum ita expressas, suas opponere ex ratione & Scriptura ductas consequentias? Rem profectò omnibus prudentibus ridiculam & stultam molientur, si rationem Scripturæ opposuerint, cùm hanc normam faciant infallibilem, ad quam illa rationis quæ fallibilis est, debeat regulari. Calvinus ex Paulo. 1. Cor. 14.7. *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*: Colligit lib. 4. Inst. cap. 16. § 31. *Licèt natura perditi sint, qui nascuntur ex fidelibus, supernaturali tamen gratiâ sancti sunt.* Quomodo hæc cum Pauli sententia, quomodo cum ratione conveniunt, natura simul perditum esse, & supernaturali gratiâ sanctum? An non & sanctitas externa & legalis est? qualis certè illa est, quâ per virum fidelem mulier infidelis ornatur? nisi dicas,

cas, eandem simul fidelem & infidelem esse. Oppono ego veriorem ex eodem Paulo conclusionem Rom. 5. v. 12. *In omnes homines mors pertransiit.* Infantes sunt homines, ergo & in illos mors pertransiit. Oppono & elenchum solidiorem alterum Joan. 3. *Qui non fuerit renatus ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei.* Talis infans non est renatus ex aqua & Spiritu S. ergo non potest intrare in regnum Dei. Hic opinor ad suas se vertent interpretationes. Sed qui in simili has probet syllogismo, hunc tantùm auditurus sum.

III. Credunt non fieri remissionem peccatorum per Sacerdotem, sed sua cuivis peccata per fidem justificantem remitti. Cùm tamen disertè discipulis à Christo sit dictum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. Et quo syllogismo hanc propositionem evertent? Credunt rursum non esse necessariam particularium actuum pro remissione impetranda confessionem, contra præceptum illud Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et testatam praxin. Act. 19 *Multi credentium veniebant annuntiantes actus suos*: Et rationem denique ipsam. Quomodo enim prudenter remitti, & quandoque etiam cum discretione retineri à Sacerdote poterit, quod ignoratur?

Credunt denique fidem sibi ad pœnitentiam sufficere; quòd bona opera sint tantùm fructus pœnitentiæ. Cùm Deus ad veram pœnitentiam apud Ezechielem 18. v. 21. longè plura requirat. *Si*, ait: *impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet & non morietur.* Fides igitur cooperari ad pœnitentiam poterit, non verò se sola justificare. Non satis peccatori est, se ad Deum per fidem convertere; sed necessè est etiam, ut per charitatem: *qui* enim *non diligit, manet in morte.* Joan. 3. Hoc autem fieri nequit, nisi à peccatis sese averterit. *Cùm* enim *averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Ezech 18. v. 27. Plùs igitur quàm sola fides, ad veram pœnitentiam & vivificationem peccatoris, requiritur: utpote aversio ab impietate, conversio ad custodiam omnium præceptorum, & dilectio Dei. An hæc non sequuntur? *Sic* enim contra illos argumentor. Peccator, *qui se averterit ab impietate sua, & converterit ad justitiam, hic vivificabitur.* Talis peccatoris est, qui Romano more pœnitet. Ergo talis vivificabitur. Contra talis non est ille, qui reformato more pœnitet.

nitet. Ergo talis non vivificabitur. Iterum, qui non diligunt, manent in morte: Pœnitentes Protestantium, ut tales, non diligunt: Ergo, *&c.* Imò gravius quiddam infero: nec pœnitentiam quidem veram juxta sua principia agere possunt. Nam sentiunt, quòd se avertere homo non possit ab omni lethifera impietate; quia non potest se à propria avertere concupiscentia. Rursùm, asserunt se non posse custodire omnia præcepta Dei, quale tamen propositum à verè pœnitente Ezechiel requirit. Non igitur possunt vivificari: manent itaque, suo damnati judicio, in morte. Denique si tales ita imperfecti & infecti per fidem tamen justitiâ Christi justificarentur, sequeretur tales esse conjunctos cum Deo, & separatos à Deo, quæ secum pugnant. Conjuncti enim essent per suam fidem, separati per concupiscentiam. *Perversæ enim cogitationes separant à Deo* Sap. 1. 3. Nolo jam tangere, quàm insanum commentum sit, Dei verbo omnique rationi difforme, quòd formalem suam justitiam, quæ Christi justitia est, habeant in cælis, ipsi interea versentur in terris, undique sceleribus cooperti, ut si quis hic vacuo & esurienti esset ventre, qui cibum haberet in Indiis: vel in Germania nudus, in Italia haberet vestem. Imputetur sanè nobis justitia Christi; sed ut meritoria causa, non formalis, hoc enim nullâ conclusione demonstratum est.

IV. Credunt Lutherani corpus Christi non fuisse in pane cœnæ, & in calice sanguinem, nisi cùm discipuli manducarent & biberent mansisse panem & vinum, cùm corpus & sanguis esse inciperet. Estne syllogismus quo hæc verbis expressis concludi ex sacris possunt Literis? omnino, quem quidem viderim, nullus. Evertunt etiam diserta Christi verba: *Hoc est corpus meum*: quia non additur, *cum pane*, aut, *quando comedetis*. An enim priusquam comederent, Christi verba non fuere vera? quis illud asseret? fuit igitur ante esum verum Christi corpus. Iterum post verba dicta, erat *hoc Christi corpus*. Ergo *hoc idem non erat panis*: nam hoc (quod super substantiam cadit) esse panem, & esse corpus, juxta veram rationem pugnat. Sed non pugnat cum usitato loquendi usu, panem appellari, quod etiamnum speciem gerit, aut ante mutationem fuit. Sicut dicimus cæci vident, pomumque fictum appellamus pomum. Ergo hæc non illa significatio erit retinenda. Quia ut bene observat Augustinus, Scriptura, cùm loquitur, hominibus loquitur ex recepto usu.

Porrò nunc attendite ex Scriptura argumentantium errorem apertum. Ex hac sola Lutherani se statuunt evincere, Christum illic sub pane præsentem suo se corpore sistere. Verùm Calvinistæ non minùs ex sola se scriptura probare confidunt: non esse hic verè corpus Christi sub pane præsens; sed corpus appellari, quòd sit figura corporis, atque ex sola se Scriptura hoc asserunt contra Lutheranos demonstrare. Apparet igitur his aut illis non credendum. Et malè hi quidem. Nam si quod signum panis est, quam hoc dissimile minus corpori, quàm ad hujus nomen sustinendum malè comparatum. Serpens Moysis Christi est signum. & magis propinquum, quam panis, & tamen quis hunc Christi corpus ex usu nuncupet? Repugnat iisdem Scriptura diserta *caro mea verè* (ne similitudinem aut tropum quæras) *est cibus* Joan 6. Repugnat in cœna Christus Luc 22. *Hoc est poculum in sanguine meo, quod pro vobis effunditur* Subsumo. Sed quod è poculo pro salute nostra effusum est, non potuit esse signum tantùm sanguinis. Ergo fuit ipse sanguis. Deinde, si Calvinistæ Lutheranos habent pro consortibus suæ religionis quâ mente contra illos ex Scriptura concludunt? Aut enim hunc articulum fidei censent necessarium, aut non æstimant. Si ajunt, damnant contra se sentientes in fide erroris. Si negant, in Scriptura utique talem articulum clarè perspicueque propositum non agnoscunt: adeoque pro certa veritate tuentur, quod extra Scripturam est. Unde constat quantum illis ad Scripturæ consequentias provocatoribus tribuendum sit, qui se mutuò ex illa vel destruunt, vel confundunt. Cumque pars quælibet se testetur suo in sensu sententiaque certam, incertitudo mediis partium arbitris manifesta est

Ita per singulos ferè Protestanticæ religionis articulos progrediendo, sive illi conformes nobis sint, sive difformes, reperies solis ex Scriptura S. consequentiis non tantùm nihil evincere, sed cùm Scriptura expressiore etiam persæpè pugnare: nec rarò contra semetipsos ad eandem Scripturam provocantes: ut Lutheranos cum Calvinistis, utrosque cum Anabaptistis, & hos in diversis Ecclesiis secum. Unde non tantum à nobis, sed & ejusdem sententiæ ex Scripturis S. formandæ consortibus damnantur. Quid autem potest in errore esse manifestius perfidiæ testimonium, quàm ab alienis simul & propriis damnari? Quàm stultum esset, si in consequentiis ex sola Scriptura formandis fidem illis haberemus, quibus sui non

fidunt?

fidunt: imò qui de seipsis, num falli possint ac fallere, interrogati respondent, in hisce illationibus ex ratione formandis omninò sese falli posse. Quemvis ego hic sanæ mentis hominem compello, an non multò consultius tutiusque sit, totam audire Ecclesiam ex his illisque Scripturis S. conclusiones suas inferentem, quàm suo judicio de fallente consequentia periclitari? Sed quàm in paucis exemplis argumentandi incertitudinem ostendimus, hanc porrò universè magis etiam demonstremus.

CAPUT II.

Cùm Protestantes in clara expressaque Scriptura *deficiunt, & ad suas consequentias transeunt, fidem vulgò impenetrabilem, non tamen divinam sed humanam tuentur.*

I CUm nonulli ex adversariis dicant, omnia ad salutem necessaria tam clarè & perspicuè in S. Literis contineri, ut interpretatione non egeant, ut habent Biblica Hollandica anni 1637. ad 2. Petr. 3. 16. Confessio Remonstratensis cap. 1. §. 14. Synopsis Theologiæ Leidensis disp. 5. Thesi 11. Collocutores Ratisbon. Thesi 5. & 6. hi ferè ut evadant, fidem in articulos fundamentales seu necessarios, & accidentales, seu non necessarios partiuntur. Et illos quidem aliqui satis arctè definiunt numero, quibus creditis quemvis judicant salvari posse, ceteris in disputatione hominum relictis. Animadvertunt enim quòd nisi hanc sententiam amplectantur: vix apud illos populus, imò pauci admodum, nisi qui doctissimi sunt, veram fidem assequi, & salvari queant. Nam quomodo linguas & interpretandi scientiam plures consequentur, ut quæ sit orthodoxa sacrarum Literarum sententia, certò intelligant. Aut igitur necessè ejusmodi S. Scripturæ sententias, quæ ex recondita interpretatione, & consequentiis eruuntur, non esse ad fidem requisitas: aut vulgus hominum non posse ex S. Literis de veris & erroneis suorum Ministrorum in fide propositionibus judicare: aut certè pauciores fidei articuli vulgo erunt creditu necessarii, quàm sit Ministris & Theologis Protestantium. Ac proinde certi hic limites figendi, ut constet: quinam articuli vulgo, quinam Prædicantibus ad salutem sint necessarii.

II. Quod si igitur Protestantes constituant, omnia creditu necessaria adeò clarè in S. Literis expressa esse, ut interpretatione non egeant; jure sciscitor, quinam hi sint articuli necessarii, tam clarè expressi. An ille e.g quod filius sit æqualis Patri Deus? sed Ariani negant ὁμοούσιον in S. Literis contineri, ut August. lib. 1. contra Maxim. & Catholici idem confessi sunt. An quod præter divinam naturam, diversa in Christo humana natura sit? Sed Eutyches duplicem in Christo naturam negans in Concil. Chalced. act 1 dicebat: *Ego à sanctis Scripturis non didici de duabus naturis.* Cui Mamas Presbyter respondit: *Neque de ὁμοούσιον à sanctis Scripturis edocti sumus.* An præterea credendum quod Spiritus sanctus Deus sit? At Macedoniani & Eunomiani negabant hoc *in Scripturis se legere*, ut refert Basilius l. de Spiritu sancto c. 15. Quid videtur, an hi aliique articuli necessarii non sunt, quos tamen Orthodoxi cum Heterodoxis fatentur in scriptura clarè expresseque non definiri? Quando igitur inter doctissimos quosque Scripturarum Interpretes de hac saltem re disceptatur, quomodo vulgus Fidelium ex Scriptura sola hanc rem definiet, discernetq; qui Doctorū rectè, qui secus arbitrentur? quid creditu necessarium, quid in arbitrio relinquendum?

Deinde cum his jam hominibus mihi transacta res est, quando Confessionem ex S. Literis exhibui in hodiedum controversis, quâ nisi claram magis expressamque, quâ nostra evertant, exhibeant, causam totam amiserunt. Ad solam provocarunt Scripturam, ex hac sola sumus locuti. Ad illos ergo, qui per interpretationem & Syllogismos necessaria ad salutem definire volunt, revertamur.

III. Hos primo sic compello. Aut statuunt vulgo fidelium hac interpretatione & his conclusionibus opus esse, ut intelligant, quæ ipsis creditu sunt necessaria, aut negant. Si statuunt, manifestum est plerosque suorum etiam mediocriter doctos non habere majorem certitudinem salutis, quàm habeant interpretationes & conclusiones à se in hac illave controversia legitimè formatæ. At hinc certitudinem habere illos non posse jam supra à me abundè est demonstratum, fide igitur exciderunt. Si negant, jam admittunt cum antedictis omnia creditu necessaria clarè expresseque in Scriptura contineri: quod manifestè est falsum.

Deinde neq; doctissimos quosque necessaria ad fidem per interpretationem & consequentiam certo posse colligere ostendo. Nam 1. quâ certâ consequentia statues, quinâ ex libris Biblio-

bliorum sint verè divini? qui apocryphi? Augustinus dicit, Machabæorum libros non quidem à Judæis, a Catholica tamen Ecclesia, in Canonem receptos. An Augustinum erroris ex scriptura arguere poteris? Lutherani Jacobi Epistolam respuunt, at recipiunt Calvinistæ, qui illorum, quos, & unde damnabunt? Et tamen his libris sublatis, quis non intelligit sententiam de purgatorio & operibus justificantibus labefactari, aut minori certè claritate exponi? 2. Si viri docti ex S. Literis, quæ creditu sint necessaria definire debent, tenentur omnes ante Scripturas ita memoria intelligentiaque complecti, ne vel unica articuli necessarii fundamentalis sententia, & clarior pleniorque cæteris illos prætereat; & cum ad originales linguas, ut docent, res quæque examinanda sit, tanta illas perfectione tenentur assequi, ut inprimis nihil suppositivum pro textu vero, nihil nisi verbis sensuque à Christo & Apostolis usurpatis accipiant, ideoque omnem significandi amplitudinem, aut restrictionem, æquivocationem, tropum ac figuram illis linguis familiarem penetret; deinde judicet, rantane claritate res proponantur, ut fidei articulum necessarium constituant? ac postremo certus sit se in sua collatione & illatione non falli. Quod si enim in aliquibus horum deficiat, quomodo de sua poterit interpretatione, & consequentia reddi securus, cum Scripturam aliam claram, expressamque (ut supponimus) normam non habeat? Nolo jam alia de quibus lib. 1 Med. Con. ad judicium hoc necessaria prosequi. Tantum quæro. Sitne inter Protestantium Theologos, tam quisquam arrogans, suique tantus æstimator, ut hæc se absque controversia sentiat assecutum? Et si fuerit; an non possimus illi Basilios, Hieronymos, aliosque nostra ex parte, imo Ecclesiam universam, cum traditione perpetua, secus interpretantem majori securitate, opponere? Quocunque se hic verterint adversarii, aut nihil ex sola Scriptura S. obtinebunt, aut nos intelligent esse potiores.

IV. Cæterum, ut practicè hoc propositum urgeamus. Quæro ex illo, qui ex sola mecum Scriptura per consequentias statuit concertare. Quomodo hunc vel istum articulum fidei nostræ v.g. illum, quem passim culpant *de Purgatorio*, ex Scriptura velit evertere?

Dicet fortè 1. se non teneri ad hujus probationem, eò quod satis sit, talem in S. Scriptura articulum non contineri. Verum instabo. Hoc ipsum illi ex S. Literis probandum, ***nihil credendum, nisi quod scriptum.*** Quòd contra traditiones adeò clarè

expresseque probatas, clariori Scripturâ, aut certiori ex illa consequentia nunquam facturus est, ut alibi ostendi. Urgebit. Nihil fide divina credendum est, quod non constet esse revelatum, sed purgatorium esse non constat esse revelatum. Ergo &c. Aut si id constet, ostendatur. R. Tibi incumbit probare, non esse hoc revelatum: tum quia nos illud credentes ex Scriptura sola reformare vultis; tum quia in vestris Confessionibus contra nos asseritis, imò & Angli in suo asserunt juramento fidelitatis: *non esse purgatorium*: tũ denique, quia & nos ex S. Scriptura, ita à SS. Patribus exposita, purgatorium adstruimus. Protestantibus igitur hoc probandi onus impositum adversus Catholicos est.

Quando igitur ad probationem teneris, quæro ulterius. Possisne ex clara expressaque Scriptura ostendere, non esse purgatorium? Negabis utique te posse. Accipio itaque hanc Confessionem quâ asseris, claram tibi expressamq; Scripturam deesse, quæ possit esse norma & judex hanc controversiam dirimens, & sublumo; igitur vulgares homines apud vos non tenentur hunc articulum credere, *non esse purgatorium*; nam cùm clara Scriptura desit, & originalium linguarum, ac Philosophiæ rudes sint, & certam consequentiæ infallibiles regulam constituere nequeant, ad quam tanquam normam judicemque velut ultimum expendant: *Verum suorum prædicantium conclusiones adversus purgatorium; an nostra pro illo certa sint?* hærebunt in ignorantia articulorum fidei.

V. Tu verò teneberis per consequentiam mihi talem producere propositionem, quæ sit revelatum Dei verbum, doceatque clarè & expressè, non esse purgatorium. Euge, præsta quod promittis. Verum ex te sciscitor an utraque præmissarum de fide sit futura, ex qua mihi conclusionem talem polliceris? & num clara expressaque suis terminis? an fortè alia ad easdem propositiones intelligendas admittendasque probatione opus sit, adeoque neque claræ in se, neque certæ sint, quæ norma infallibilis conclusionis esse queant? Iterum, an ita perspicui definitique sensus sint, ut de illo ambigi nequeat, neque in aliam sententiã significatione prudenter inflecti? nam si hæc illis desint, conclusio vacillabit. Do exemplum *Septies in die cadet justus*. Prov. 24. *Simeon est homo justus*. Luc 2. Ergo septies in die cadet. Utraque præmissarum de fide est; Et tamen, quis non videat hanc conclusionem esse incertam. Quæ causa? an non in litera clarissimæ perspicuæque propositiones videntur, nihilque in verbis obscurum? Ita planè. Sed tamen, neque clara satis Majo-

ris sententia est, neque abundè definita. Nam & certus numerus pro incerto, & casus magis possibilis in justo, quam futurus indicatur; & propositio magis particularis, quàm universalis est. Imò absolutæ & generales quandoque propositiones ex S. Scriptura limitantur, ut nisi quis totam hanc perspectam habeat, omnesque ipsius teneat sententias tutò non possit concludere. En iterum utramque præmissarum de fide *Omnis homo mendax Christus est homo.* Nunquid falsa conclusio. Ergo Christus est mendax? vel si Christum θεάνθρωπον excipi dicas: tamen nec hæc erit infallibilis. *Ioannes Baptista est homo*, ergo est mendax. Nolo jam hic expendendam memorare syllogismi totius & consequentiæ bonitatem: quæ fallacias omnes Sophistarum debet excludere. Qui hæc omnia consideraverit, intelliget, plurima esse quæ etiam in conclusione ex utraque præmissarum de fide nos possint fallere. Ideòque si talis Conclusio regula esse debeat non doctis solum, sed & vulgo hominum rerum credendarum fallibilem admodum regulam judicemque fidei habere Protestantes, nisi forrè ab illa se ie etiam universali propositione, quod *omnis homo mendax* sit, exemptos velint.

VI Jam verò quid si Protestantes nec tales quidem conclusiones ex utraque de fide contra articulos fidei nostræ queant producere, sed cogantur ubique ad propositiones rationis naturales, & proprii non rarò judicii criteria, in præmissis formandis se convertere? qualis hinc obsecro quam incerta & fallibilis conclusio pro regula fidei excludetur?

At ego pro certo atque indubitato habeo, nullam hactenus Protestantes ex utraque præmissarum de fide formasse conclusionem apodicticam, nullamque formaturos unquam, quo vel unicum articulum fidei suæ nobis oppositum invictè probent, vel evertant nostrum. Aut si illam possideant hucusque occultatam, coram toto orbe provoco, ut producant; ea lege, ut si non fecerint, omnibus contestatum maneat, iniquos illos esse nostræ Religionis desertores.

Jam quando hic censeo desperatum esse. Quæro saltem ab oppugnatore Protestante: an ex altera de fide, & altera rationis ita propositum probare queat, ut nullus ejusmodi, quos ante memoravimus defectus intercurrat? Ubi igitur jam talem demonstrationem exhibere se profitebitur, ulterius sciscitor, an vi formæ velit, ut tali ego conclusioni assentiar? id si postulet, jam igitur conclusio quam de fide esse statuit, regulam ad quam expendenda ejus veritas ultimò est, habebit partim Scripturam

S. ex-

S. expressam, partim rationem; nam adæquata conclusionis veritas, tam in illa propositione quæ rationis est, quàm quæ est Scripturæ & Fidei, continetur. Sed talis regula ex ratione & fide composita, est fallibilis. Ergo fundamentum talis fidei fallibile est. Demus tamen probabiliter sentire aliquos, quod talis conclusio sit de fide. At sola probabilitas alicujus sententiæ non potest certum mihi fidei fundamentum constituere.

Ex quo manifestum est, quod licet Protestantes omnes articulos suæ Religionis nobis oppositos, legitimis, demonstrativis ac perspicuis Syllogismis evidenter probent, pariterq; fidei nostræ atticulos oppugnent, nihil tamen fide divina purè credendum possint constituere, sed teneantur, in ratione humána cum Scripturis juncta, tanquam ultima fidei regula, utique ex una parte fallibili, acquiescere. Aut hoc igitur illis tam fallibile fundamentum amplectendum est, aut nobiscum admittendum, quod, præter verbum Dei scriptum, traditum quoque in Ecclesia relictum sit, quo utroque nobiscum freti in pura denique autoritate loquentis & non fallentis Dei acquiescant. Sed hanc illis veritatem, ne obniti jure possint magis etiam disertè censeo demonstrandam.

CAPUT III.

Quamvis Protestantibus demus validis posse ex S. Scriptura consequentiis res fidei deduci: tamen ipsi tam in oppugnandis articulis nostris, quam suis propugnandis deficiunt.

§. 1. IAm verò ut pacis gratia hanc etiam rationem per Syllogismos ex S. Scriptura pugnandi adversariis tanquam validam certamque tantisper indulgeamus: Putantne ex his sepos se pari nobiscum firmitate subsistere? Orthodoxa Ecclesia tam in scripto Dei verbo fundata est, ut longè solidius, quam hujus ævi Protestantes ex hoc possit ratiocinari Unde si etiam antiqui Patres contra prisci ævi hæreticos ad S. Scripturam provocare ausi sint; ut propriis illos armis profligarent, id nos haud minus confidenter audebimus. Cum D. Augustino Epist. 116. adversariis dicimus: *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus, quare non in eis, & Christum, & Ecclesiam communiter retinemus?* Et de doctrina Christiana lib. 2. cap. 9. *In iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresq-*

moresque vivendi. Quomodo inveniuntur? Respondent nunc plerique ab expressa Scriptura dejecti Adversarii: Non contineri expresse & immediatè omnia, sed per interpretationem & consequentias legitimas deducenda. Admittimus. Quando igitur tam animose consequentias, tanquam ultimum fugæ suæ receptaculum Adversarii provocant, ut ex hac statione se tueantur: Relictis tantisper præsidiis nostris, hic eos & suis quidem armis aggrediamur.

Suppono, ex verbis plurium sensuum capacibus, non posse nos unum tantum sensum definitum inferre. Nam constare de mente loquentis necesse est: at si plures sensus verba admittunt, nisi aliunde mihi ostendatur, mens loquentis mihi certa esse non poterit. Quare cum Spanhemius aliique ex discussis S. Scripturæ verbis sæpius consequentias à nostris Doctoribus factas negent, eo quod præmissæ indefinitæ significationis sint; nihil tamen ex sola Scriptura demonstrant; nisi ante ostenderint, suum esse sensum tantummodo à loquente in Scripturis divino Spiritu intentum. Quod cùm nusquam præstent, suam ipsimet de probatione certa per consequentias evertunt sententiam.

§. 2. Qui Protestantium sua in Religione imbecillitatem, & ut paucis dicam defendendi impotentiam intelligere voluerit, exigat ab illis Reformatoribus articulorum suorum probationem per syllogismum aliquem apodicticum, cujus utraque præmissa de fide, nullam exceptionem admittat, quod si non impetret (uti nunquam obtinebit) saltem exigat, ut ex Dei & hominum verbo, aliquem sibi suæ Confessionis articulum, ut nobis apponitur, demonstret verum; aut nostrum, qui ipsis adversatur, falsum.

Postulaverat aliquando id P. Jodocus Kedd annis proximis scripto typis excuso, atque ad varias Germaniæ Academias misso. *Probent*, inquit Postulato X. *Lutherani, ab Ecclesia Romana aliquem articulum tradi, qui sit contra expressum Dei verbum?* Ex duodecim respondentibus, qui omnes forum hoc declinarunt, unus Andreas Sartorius Illaviæ Rector hæc ad infirmandos articulos nostros producit.

1. Inquit, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter illud quod positum est, quod est Christus Iesus.* 1. 1. Cor. 3. Sed Romani ponunt aliud fundamentũ Papam, ergo contra expressam Scripturam peccant. ℞. Ipse Paulus Eph. 2. 20 solvit: *Estis*, ait, *ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso* (Chri-

(Chriſto) *ſummo & angulari lapide* , ſeu fundamento primo, quale nullum aliud eſt. Chriſtus igitur fundamentum primarium, Apoſtoli & ſucceſſores ſecundarium.

II. Opponit. *Verbum Dei lucerna eſt pedibus noſtris* Pſ. 118. Sed Romani illud faciunt obſcurum. ergo negant eſſe lucernam. ℟. Ipſe David obſcurum ſibi ibidem fatetur Pſ. 118. dum orat Deū. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, & non abſcondas à me mandata tua.* Et Eunuchus Candacis ait, legens de Chriſto Iſaiam. *Quomodo poſſum intelligere, niſi aliquis oſtenderit mihi.* Act. 3 Et Petrus de Epiſtolis Pauli ait. *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam perditionem.* 2. Pet. 3 Et ipſa experientia in diſputationibus fidei, inter ipſos etiam adverſarios ad claram Scripturam provocantes , oſtendit, lucernam hanc tenebris circumfuſam longè à ſole dieque abeſſe? quin & ipſam hanc ſententiam metaphoricam, ſuâ caligine non deſtitui Ut ejuſmodi probatione plus deſtruant adverſarii, quam ædificent. Dignum profectò fundamentum, in quo provocationem ſuam ad ſolam claram Scripturam fundent , cùm hoc ipſum obſcurum ſit.

III. Opponit, Lex vocatur *jugum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Act. 15. Sed Romani dicunt legem impleri poſſe; ergo negant tale jugum eſſe. ℟. Chriſtus ipſe dicit: *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Accedit, quòd illic de lege ceremoniali & circumciſionis veteri dicatur , quæ licet noſtrâ ſit gravior; tamen & illam neminem impleviſſe, temerarium ſit aſſerere, cùm & illic reperti ſint , qui *ambulabant in omnibus juſtificationibus.* Luc. 1.

IV. Opponit. *Ei qui non operatur, ſed credit in eum , qui juſtificat impium, fides ſua reputatur ad Iuſtitiam.* Rom. 4. 5. Sed Romani docent eum qui operatur juſtificari. ergo contradicunt verbo Dei. ℟. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris* , ſi ſimus, *in charitate radicati & fundati.* Eph. 3. 17 Fidem igitur ſimul & opus internæ charitatis requirimus, opus autem Ceremoniale & Circumciſionis Abrahæ, de quo Rom. 4. rejicimus. Quàm verum illud ſit, ex eodem Paulo conſtat, dum vult *fidem, quæ per charitatem operatur.* Gal. 5. & ſi inquit , *habuero omnem fidem , charitatem autem non habuero, nihil ſum.* 1. Corinthiorum 13.

V. Opponit. *Bibite ex eo omnes*, ait Chriſtus Matth. 26. ſed Romani ajunt, ſoli bibite Sacerdotes. ergo, nolunt omnes bibere.

℟. Ro-

ni. Romani volunt omnes bibere, quibus Christus de Calice Luc. 22. 17. dixit: *Accipite, & dividite inter vos.* Tales autem erant soli præsentes Apostoli Sacerdotes. Rursus illos jubent bibere, illorumque Successores, de quibus dictum: *Biberunt ex eo omnes.* Marc. 14. 23. Tales autem soli erant Sacerdotes. Deinde faciamus ad omnes etiam Laicos spectare. An igitur præceptum magis est, quàm illud, quod ibidem dictum, Et *vos debetis alter alterius lavare pedes?*

§. 3. En quinque lapides, non Davidicos, sed Sattorios omni lana molliores. His tamen se nos existimant prosternere, & hæ sunt illæ machinæ, quibus toti Religioni nostræ minantur ruinam. Consideret quæso Lector: an non hæc tela in ipsos adversarios vi & arte majori reverberentur? ut si dicam.

1. Qui non super solum Christum, ut fundamentum ædificati sunt, sed etiam super fundamentum Apostolorum, hi veram habent Ecclesiam.

Sed Romani, non verò Protestantes: *ædificati sunt super fundamentum Apostolorum* (Petri ac Pauli) & non super solum Christum. Ergo, &c.

2. Qui revelari sibi oculos desiderat ad consideranda mirabilia legis, ut mandata Dei intelligat, huic omnia non sunt clara & perspicua, quantum ad salutem, in lege.

Talis David Ps. 118. Ergo &c. Nisi igitur Davide perspicaciores sint Protestantes, idem judicent, petantque necesse est.

Rursum. Scripturæ, quæ ita difficiles intellectu sunt, ut sint quibusdam causa perditionis, hæ non sunt faciles in omnibus ad salutem spectantibus. Tales sunt Epistolæ Pauli & Scripturæ cæteræ. Ergo &c.

3. Jugum suave & onus leve, non est portatu impossibile. Tale est lex Christi. Ergo, &c. *Rursum.* Lex in omnibus justificationibus explebilis, non est importabilis. Talis est lex Christi.

4. Fides quæ per charitatem operatur, non operatur se sola justificationem, sed fides Christianorum per charitatem operatur. Ergo, non se sola &c.

5. Quibus calice oblato dictum est, dividite inter vos, & de quibus Evangelista dixit, biberunt ex eo omnes, his etiam dictum est, bibite ex eo omnes, sed illud solis Apostolis convenit. Ergo & hoc. En facillimè repercussa pila. Videant nunc Protestantes, an tam facilem ex ipsis Scripturis S. solutionem allaturi sint, quam ego dedi.

§. 4. Nunc videamus quemadmodum Protestantes ex Scriptura S. instructi sint, ut suam quoque fidem Ecclesiamque

necessariis articulis tueantur. Ex iisdem P. Kedd postulatis, hoc erit manifestum.

I. Postulabat, *ut Lutherani* (idem de Calvinistis valet) *aliquo argumento sibi proprio demonstrarent, quam potius Ecclesiam, quàm Calvinistarum, Socinianorum, aliorumque in fidei doctrina hostium veram esse.* Quid adhæc illi? Hulsemannus, Micrelius aliique negant, solam tantum Lutheranorum Ecclesiam Christi esse. Langius tamen dicit, Becanum testari, quod Lutherani rectius in fide, præ Calvinistis sentiant. Unde illorum Ecclesiam nostro esse testimonio præferendam. Citerioris Hungariæ Prædicantes negarunt se ad responsum teneri. En dignâ Protestantibus responsionem. Prima admittit non tantum Calvinistas, sed & Socinianos aliosque fidei hostes ad veram Christi spectare Ecclesiam. Hoc est lucem & tenebras, Belial & Christum in una sancta, Apostolicaque Ecclesia conjungit. Altera hoc ipsum destruit & Lutheranos solos Orthodoxæ Ecclesiæ membra facit. Tertia syncerius suam in probando impotentiam fatetur.

II. Postulabat, *ut iidem verbi Ministri vocationem suam præ aliarum sectarum præconibus proprio sibi argumento* (quo scilicet hæreticus adversarius uti non posset, suamque tueri hæresin) *legitimam probarent.* Quid respondent Protestantes? Micrelius, Heuglin, & Sartorius, ajunt, eadem vocatione se gaudere, quâ Romani. Citerioris Hungariæ Ministri asserunt, eum qui post acceptos ordines degenerat in hæreticum, legitimâ vocatione excidere; ac degenerate in lupum. Sartorius ait denique cum Micrelio, illum dignè vocari, quem tota ad hoc munus deligit Ecclesia, ut Act. 6. 2 3. Tales apud se esse, & Lutherum, abjuratâ superstitione nostrâ fuisse. Sed hæc rursum se destruunt responsa. Nam vel Romani (& Lutherus inter eos quondam) legitimè vocati sunt, & tunc certum est illos hæreticos non esse, si hæretici vocatione excidant, Lutherum verò postquam se eis opposuit vocatione excidisse, quia alterutros jam, aut Lutherum cũ suis, aut Romanos, ex manifesta oppositione Ecclesiarum, hæreticos esse constat. Romani verò cum iidem sint, qui erant tẽpote Lutheri ab illis ordinati, defecisse Lutheranos necesse est. Ergo hi vocatione sua excidere. Vel certè Romani jus legitimè vocandi, jam ante Lutherum amiserant, & tunc à nullo legitimè est vocatus, unde ipse, & omnis ejus asseclа audire meretur: *Amice quomodo huc intrasti?* Estque inter illos de quibus Deus dixit, *currebant, & ego non mittebam eos.* Jer. 23. *Quomodo autẽ prædicabunt, nisi mittantur?* Talis autem potestas ab Apostolis ejus-

que

que successoribus est, non à plebe, quæ manus non imponit, sed eligere tantum potest ac proponere: ut ipse Micrelius non diffitetur. Vel etiamnum tam Lutherani, quam Romani legitimè suos vocant, tam ad suæ, quàm Religionis oppositæ prædicationem; & sic Deus per suos Ministros tam ad hæresin, quam veram fidem prædicandam vocabit. Quod sane asserere impium sit. En iterum responsionem viris prudentibus indignam. Quid enim hæc ad propositum faciunt? Nam petitur à Protestantibus ratio vocationis, quâ Socinianus & Anabaptista, aut Arianus uti nequeat. Hanc ex S. Literis neque dedere, neque daturi sunt. Tam igitur incerta Protestantium, quam Socinianorum vocatio est.

III. Postulabat, *ut seclusa autoritate Ecclesiæ, & traditionibus Ecclesiasticis, Protestantes apud se potius, quàm alios purum Dei verbum inveniri demonstrarent.* Quid illi? *Respondent*: Eam sibi rationem cum Romanis communem esse, autoritate Ecclesiæ tanquam humanâ præviâ, Dei verbum suâ se luce manifestare. Sed heus, an igitur hæc lux in libris Job, Tobiæ, Esther, Ecclesiastico, &c. non eminet, cum eadem hæc Ecclesia proponat? Quid verò est quod Ecclesiam sensum Scripturæ suo testimonio probantem non audiant, si audiunt in propositâ literâ? Aut si illi, qui ad solas Scripturas provocant, hic singulari gaudent lumine? cur Lutherani cum Calvinistis tam in librorum quàm sententiæ delectu pugnant? cur à Socinianis & Anabaptistis dissentiunt? rationem poscimus, quàm hæreticus nequeat usurpare. Nos ubi Scriptura deest; traditionis atque Ecclesiæ autoritate certa fulcimur. Ergo hic iterum hærentibus aqua stetit.

IV. Postulabat, *ut insolubili argumento probarent, verbi divini explicationem, validam Sacramentorum administrationem apud Protestantes potius inveniri, quàm apud illos, quos hi ut hæreticos damnant.* Respondent Lutherani sacram Scripturam, si verborum significatio benè expendatur, pro se loqui. Hulsemannus addit, & Priscianum, hominem gentilem pro se adversus Calvinianos in his verbis, *hoc est Corpus meum,* futurum testem, si ad hanc causam excitetur. At Calviniani hoc ipsum, si ex rationis convenientia, & non tam litera, quàm sensu agatur, æquè pugnaciter dicturi sunt. & Anabaptistæ, si de verbis, *nisi quis crediderit & baptizatus fuerit,* certetur: & Sociniani, si de verbis: *Ego & Pater unum sumus,* & Catholici ipsi quoque: si de verbis: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Quis hic prudenter, in sola Scriptura subsistendo,

K pro

pro his potius, quàm illis dicet sententiam, & talem quidem, quam statuat ferri judicio infallibili: aut si fallibili se ferre intelliget, quomodo vel ipse sibi tutò certóque, ut in re fidei necesse est, assentietur? Titius ex schola Calixti cum Ministris Giseriosis Hungariæ dicit, Veteris Ecclesiæ Patrum sensum, in re ambiguâ præferendum. Utinam illud verè & seriò, nec simili perversitate SS. Patres, quâ Scripturam S. mutilarent, atque in alienos sensus detorquerent.

V. Postulabat, *ut*, cum singulæ Acatholicorum sectæ Miraculis Apostolorum suam confirmari fidem asserant: *ostendant Lutherani* (aut Calvinistæ) *in sua potius opinionis confirmationem miracula primitiva Ecclesia edita, quam Sociniana aut Anabaptistica.* Respondent, pro eorum religione facere miracula, qui Apostolis conformem doctrinam tuentur. *At* quinam illi? Hoc enim cum de se prædicent singuli, in controversiâ est, petiturque ut argumento sibi proprio, non cum Anabaptistis communi, id probent. Cur illi, qui cum Vigilantio cultum Sanctorum proscribunt, aut qui Eunomio bona opera à justificatione excludunt, nullum cum eisdem producunt miraculum? Contra, qui cum Hieronymo, Ambrosio, aliisque Catholicis admittunt, miraculis clarent? Nunquid dictum: *Signa autem eos qui crediderint hac sequentur*? Unde si fides post Apostolos in gentibus propagata, quomodo non & miracula?

VI. Postulabat, *ut probarent Protestantium Ministri argumento, quo hareticus uti non posset, se potius, quàm sectarios Apostolis in fide & Ecclesia succedere.* Respondent, per hoc se probare, quod fidem doctrinamque in primis seculis conciliisque quatuor œcumenicis probatam tueantur. Sed hoc ex parte 3. Concordiæ meæ licebit agnoscere. Si rem tam incertam pro certo fidei suæ argumento habent, suamet sententia damnati sunt.

VII. Postulabat, *ut Protestantes se à Deo, ad reformationem Ecclesia Romana, pra aliis sectis vocatos esse demonstrarent.* Respondent aliqui, se Luthero in Romana Ecclesia ritè ad prædicandam veritatem ordinato succedere. Sed contra est, quia si Lutheri ordinatio legitima, Ministrorum hoc tempore longè diversa erit illegitima. Si ille ab orthodoxa, vocatus Ecclesia est, hi necessario ab heterodoxa vocantur. Quis enim tam opposita conciliet? Illa vocavit & ordinavit ad Missæ sacrificium, ad Sacramenta pœnitentiæ, extremæ unctionis & cetera admini-

stran-

strada, ad Sanctorum venerationem, ad traditum Dei verbum acceptandum, quæque his similia observat Catholica Ecclesia, & quam procul ab his vocatio Ministrorum! Quod si verò extra ordinem vocatos se asserant, probent illud argumento, quo Anabaptista uti nequeat, aut fidem nullam merentur. Si dicant, mirabilem vim Evangelii, qua tot homines Luthero aut Calvino adhæserint id restari: eodem magis Arianus aut Turca argumento exultabit.

VIII. Postulabat, *ut Protestantes ex S. Scriptura probent universalem visibilem Christi Ecclesiam interire, & inferorum portas contra illam prævalere posse.* Nil hic respondent, nisi particulares homines & Ecclesias visibiles errare posse, quod haud inviti fatemur: de universali visibili, hoc est illa, quæ toto orbe ad Romanam Ecclesiam super Petrum fundatam in fide & obsequio respicit, nostrum nemo confitetur, nemo probat adversariorum, contra Isa 59. Matth. 16 & alia Scripturæ loca. Cæteras ipsius postulationes non prosequor, quas in Keddii parænesi licebit intueri. In propositis enim exemplis satis ἀδυνατίαν Protestantium in probando exhibemus.

CAPUT IV.

Catholicos longè certius, quàm Protestantes, ex sola Scriptura S. per consequentias adversariorum sententias evertere, & suas probare exemplis docetur.

POstulabunt fortè ex nobis etiam, ut qui sacras Literas quoque, tanquam fontem religionis nostræ, veneramur; hinc & fidei articulos probemus. Multis ad hoc titulis non tenemur, ut qui à Luthero ejusque asseclis ad reformationem ex sola scriptura vocamur, ideoque ab Adversariis erroris ante ex illa convincendi simus. Quòd cum nondũ factum, nulla nobis incũmbit contra invasores probatio. Iterum ante Lutherum nos in bona fide possessionis veræ Ecclesiæ invenimur. Hanc igitur nisi adversarii malæ fidei esse convincant, nostra, citra ullam probationem, manet possessio. Denique nos solo Dei verbo scripto non fruimur; sed, pari autoritate Ecclesiæ fundatum, verbum Dei traditum obtinemus, & probationem ex utroque solidissimam instruimus, cum adversarii Scriptura destituti, ad verbum hominum judiciumque proprium cogantur transire.

Verùm tamen, ſi ex ſolis etiam Scripturis S. pugnandum ſit, Proteſtantibus nos ſentimus eſſe potiores.

Et manifeſtum illud quidem eſt ex Confeſſione in principio concordiæ ex S. Scripturis exhibita, in qua Scripturis utriuſque partis collatis, longè clarior noſtra eminet ſententia. Ut nemo hactenus Proteſtantium, quod tamen enixè poſtulatum eſt, huic Confeſſioni ex verbo ſcripto collectæ ſubſcribere auſus ſit. Quod aliud nihil eſt, quàm convicta tareri conſcientia, ſe per S. Scripturam damnari. Quid quod etiam à nobis rogati ſint, ut ſiquid ex Scriptura clariori addendum cenſerent, id nobis volentibus faventibusque facturi eſſent, modo propriis commentationibus abſtinerent?

Accedit, quod cum nobis palmam in expreſſa Scriptura hoc pacto tribuant, concedant etiam conſequentiis inde ductis ſe ſuperari. Nam ubi illa difertius adſtipulatur, & has favere neceſſe eſt. Tamen ut uno alteroque exemplo concluſiones noſtras illorum articulis opponamus non magnopere refugimus, daturi contra ſingulos, ubi illud, ſuis ante exhibitis concluſionibus, præſtiterint.

I. Docent Proteſtantes in fidelibus juſtificatis manere peccatum concupiſcentiæ, eoque bona opera illorum inquinari noxâ ex genere ſuo lethiferâ. Contradicit his David Pſ. 16. *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Et Salomon Sap. 1. v. 4. *Sapientia non habitabit in corpore ſubdito peccatis & ſpiritus diſciplinæ corripietur ſuperveniente iniquitate.* Et Paulus Roman. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant, Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me à lege peccati & mortis.*

Subſumo, ſed in fidelibus Proteſtantium invenitur iniquitas, Sapientia & Spiritus diſciplinæ habitat cum peccato, manet damnationis aliquid ex concupiſcentia, ambulant ſecundùm carnem, nec liberati ſunt à lege peccati. Ergo S. Scripturæ adverſantur.

II. Negant ſuos (præſertim Calviniſtæ) in gratiam receptos, poſſe excidere. Contradicit Paulus ad Gal. 5. v. 5. *Evacuati (ſeu aboliti) eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis.* Ergo Galatæ in fidem recepti, ſi circumciſionem affectarent, à gratia poterant excidere. Ergo & hodie fideles.

Rurſum ex Paulo 1. Tim. 1. v. 18. ſic evinco.

Fide & bona conſcientia poſſunt excidere, qui hanc repellentes, poſſunt in fide naufragare; ſed *quidam bonam conſcientiam*

tiam repellentes possunt in fide naufragare. Ergo & illa excidere.

III. Docent nos bonis operibus expiare peccata non posse, sed fide solâ. Contradicit Sapiens Prov. 16. v. 6. unde sic argumentor.

Iniquitas quæ misericordia & veritate expiari potest, hæc bonis potest operibus expiari. Sed *misericordia & veritate expiabitur iniquitas.* Ergo bonis potest operibus iniquitas expiari.

Rursum ex Luc 7 idem evinco. Cui multa remittuntur peccata, quia dilexit multum, non solum remittuntur, quia credidit. Sed Magdalenæ, *multa remittuntur peccata, quia dilexit multum.* Ergo non solum quia credidit.

Iterum ex 2. Cor. 6. Tristitia quæ secundùm Deum pœnitentiam in salutem operatur, hæc & justificat, sed *quæ secundùm Deum est tristitia pœnitentiam in salutem operatur.* Ergo & justificat.

Denique ex Apostolo Jacobo, c. 2. sic demonstro.

Fides quæ sine operibus mortua est, sine operibus non vivificat. Sed *Fides sine operibus mortua est.* Ergo sine operibus non vivificat. Ergo nec justificat, nam justificare, est vitam animæ spiritualem tribuere. Ipse Apostolus quando de hac justificatione vivificante locutus est, sic conclusit. *Videtis igitur, quoniam ex operibus justificetur homo & non ex fide tantum.* Et nemo adversariorum ullo syllogismo demonstrabit, de alia, quam animam vivificante justificatione Apostolum locutum esse. Forment talem Elenchum apodicticum adversarii, si quid animi & rationis superest.

IV. Docent Protestantes bona opera fidelium nullam in cælo coronam mereri. Contra Paulum 2. Tim. 4. Ex quo sic adversarios convinco. Cui post hanc vitam, pro suorum laborum certamine reddetur à Justo Judice corona justitiæ, hic suo certamine mereri coronam censetur. Sed Paulo, *Pro suo certamine reddetur in ultimo die corona justitiæ à justo Iudice.* Ergo coronam mereri censetur. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis nostri,* Hebr. 6. v. 10.

Hoc argumentum D. Augustini est Tract. 3. in Joh. ubi tradit quomodo cum hoc, quod vita æterna appelletur gratia, consistat, quod sit debitum.

Iterum ex Matth. 24. v. 35. sic confirmo. Quibus dicetur, *Venite benedicti, & ite maledicti, quia dedistis mihi manducare, vel*

non manducare, &c. his vel præmium, vel pœna propter opera decernetur, sed illud probis, hoc reprobis dicetur. Ergo filis præmium, his pœna propter opera decernetur. Hoc argumentum Basilii Magni est in proœm. de judicio Dei.

V. Docent, verè fidelem non excidere justitiâ aliis peccatis, nisi solâ incredulitate, ideoque Davidi adulterium & homicidium non fuisse imputatum ad injustitiam. Contra Apostol. 1. Cor. 6. *Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes neque adulteri &c. Regnum Dei possidebunt.* Unde sic arguo. Qui Regnum Dei possidere non possunt, justi esse & manere nequeunt in adulteriis; sed *adulteri Regnum Dei possidere non possunt.* Ergo, &c. Deinde ipse David suum agnoscit peccatum. Psalm. 5. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Et Nathan significat, quod *Deus peccatum transtulerit*, ergo prius illi à Deo fuit imputatum.

Porrò his aliisque non videtur operæ pretium diutius immorari. Nam cuilibet Logices non imperito promptum erit, ex S. Literis, à me in Med. Concord. propositis tum etiam SS. Patrum expositione hæc argumenta per omnes controversiarum articulos formare. Mihi solum illum placuit locum tangere; unde tradunt: nos Christi justitiæ & operibus, per operum nostrorum æstimationem derogare. Sed nos in his cum Paulo ubique dicimus: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Ille *Vitis, nos palmites* in Vite, si quem fructum adferimus, tribuimus viti. Quare adversariorum hic logomachia, ut ostendi, inanis est. Illi sub hac pietatis fictæ specie, opera pietatis omnia pessundant.

Verum unius hic obiter meminisse stratagematis Protestantium juvat, quo minus cautos in professione Scripturarum se tenere constrictos putant. Ex quibus enim, aiunt, Scripturis S. purgatorium, ex quibus invocationem Sanctorum defenditis? Hic enim minus firmo nos in S. Scripturis talo pedem figere arbitrantur. Sed his primò respondendum, ut principio capitis monui, ad hanc nos minimè probationem teneri. Secundò Ecclesiæ nobis & Traditionis perpetuæ sensum sufficere. Hieronymum olim contra Jovinianum & Vigilantium hæc abundè probasse, ut vel hi, vel ille pro hæreticis sint habendi. Tertio ne tamen videant; nos hic ex S. etiam literis prorsus inermes. *Cum Augustino*, in Psal. 37. sic probamus.

I. Qui *super fundamentum* fidei) *lignum, fœnum, & stipulas,* (operum) *adificant, hi salvi erunt, sic tamen quasi per ignem* 1. Cor. 3.

Non

Non æternum ignem, qui cruciaturus est impios. Ergo emendatorium qui purgabit justos. Vide & *D. Ambros.* in 1. Cor. 3. aliosque à me citatos 3. part. Conc. art. 24. eadem confirmantes.

Rursum ex Luc. 12. Patres plures ib. à me citati probant. Ita hinc formo argumentum. Qui *mittitur in carcerem, non exiturus donec solvat novissimum quadrantem*, hic rationabiliter judicatur posse solvere; sed tales *à supremo Iudice mittentur in carcerem.* Ergo rationabiliter judicantur posse solvere. Ergo & soluti exire. Vide Cyprianum lib. 4. Epist. 52.

Denique evidentissimè ex 2. Mach. 12. evincitur. Si rectè *pro peccatis mortuorum offertur sacrificium precesque, ut à peccatis solvantur*, luere quosdam à morte propter peccata necesse est. Sed illud verum. Ergo & hoc ipsum negari non poterit. Concludo cum Augustino de cura pro mortuis cap. 1. *In libris*, ait, *Machabaeorum legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva esset universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret autoritas.*

II. Nunc & breviter de Invocatione Sanctorum è Scripturis probemus. D. Augustinus sic ferè illam probat, ex Gen. 48. tom. 3. locut. l. 1. c. 200.

Quam Jacob moriens exauditionem & invocationem sui & Patrum aliquando futuram prædicit, hæc deinde facta non poterit negari. Sed hanc Jacob prædicit cum ait, *& invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum.* Ergo hæc facta esse non poterit negari.

Rursum de vera Religione c. 55. sic ferè (paulum mutatis dispositisque ad formam verbis) disserit. Quisquis Angelorum in Deo potest humanas sentire preces, in illo me exaudit, sed qui *semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* In illo possunt humanas sentire preces. Ergo in illo me exaudient.

Confirmo illud ex Matth. 18. Qui *majus gaudium habent in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super 99. justis.* Hi & & peccatorem invocantem cognoscere possunt & justum. Sed illud certum est. Ergo & hoc erit.

En brevissimè illorum, qui in his nos articulis lacessunt, postularis satisfactum. Neq; adversariis hinc patet effugium, nisi ad interpretationes frustraneas, hoc est proprii judicii deliramenta confugiant. Certus enim sum ex S. Scriptura, nullam illos neque expressam, neque per consequentiam legitimam allaturos sententiam, quæ contra nos definito in sensu (nam alio nihil

certi agent) quicquam possint evincere. Provocabunt millies ad Scripturam, sed judicio sibi proprio, non communi, sensum aliquem è pluribus, alibi in Scriptura repertis, deligent. Ita postquam incerta per incertum probaverint, aquam se denique cribro hausisse sentient, & suam aliorumque salutem, dum gratas carni opiniones sectantur, infeliciter pessumdedisse.

Quis igitur non videat, quanto illi incedant securius, qui suas è scriptura cum veteri Ecclesia conclusiones formant, sensus firmant, sententiasque amplectuntur? Manifestum omnino cuivis rectè sentienti esse debet, non posse res fidei illis locis, ubi collectis undique scriptura sententiis, nondum satis, inter plures sensus possibiles, ad unum certum determinatur, aliunde nisi per verbum non scriptum definiri. Hoc igitur, cum vel rationis nostræ propriique judicii, vel certè à Deo traditum esse in Ecclesia esse debeat, judicent ipsi Protestantes, an non hoc potius, quod à Catholicis nobis exhibetur sit amplectendum.

Quanquam verò hoc ipsum in Ecclesia dari abunde à me in Concordia Medit. locis diversis, imprimisque part. 3. art. 5. demonstratum existimem, tamen hoc etiam loco eandem veritatem gravius certiusque inculcandam esse duxi.

CAPUT V.

Traditionibus vivæ vocis Apostolicis Ecclesiam orthodoxam semper innixam propagatamque fuisse certis rationibus demonstratur.

1. Constat Apostolos, toto orbe sparsos, per diversas simul nationes acceptam à Deo Christianæ legis Doctrinam viva voce tradidisse, ita ut fides prima omnium ex auditu fuerit: quam deinde nonnulli illorum quibusdam in locis, scripto etiam consignatam reliquêre.

Constat deinde fideles alios, nihil in Ecclesia unquam pro veritate Christiana amplecti voluisse, quod ab Apostolis traditum, & ab his per Majores suos acceptum esse non sentirent. Quo principio tanquam certo posito, fieri non potuit, humana ratione, ac multò minus divina, stante Dei promissione; ut doctrina ad salutem necessaria, toto orbe per Apostolos sparsa, sensim, ut Protestantes volunt, obliteraretur, & errores alii inducerentur, quin cum sensu & convulsione totius hoc Ecclesiæ accideret.

Rem

Rem oculis breviter subjicio. Novimus quantum ad unius nationis receptam opinionem vel consuetudinem aut humanam aliquam traditionem abrogandam temporis aut industriæ requiratur: ut si de traditione aliqua divinitus recepta, & inter gentes integras abolenda agatur, longè major & invincibilis prope difficultas oboritura sit. Ratio est, quia traditio doctrinæ Christianæ ad salutem necessariæ summa æstimatione ab hominibus excepta est, altissimeque omnium animis impressa, quando illam tot miraculis, tamque manifestis à Deo signis illustratam accepêre. Deinde eadem prorsus toto simul orbe, per Apostolos latè divisos, est propagata, tam sui ubique similis, ut in nullo articulo dissentiret. Unde fieri non potuit, in communicatione diversarum gentium: ut una aliqua natio in suscepta semel fide à veritate ad errorem deflecteret, quin vicinæ nationes, cum eadem versantes, id non sentirent. Imò vix in una natione dissentire aliqua, non dicam Ecclesia, verùm schola, aut familia aut in schola Doctor, in familia servus potuit, quin illud repentè notaretur.

Denique illa semel suscepta religio, ut in omnibus inviolata servaretur, totoque aliquo floreret regno, tanto est studio conservata, ut simile nihil in humanis traditionibus conservandis unquam fuerit præstitum, utpote ex qua omnes suam suorumque salutem pendere non ignorarent. Ergò in templis illam Pastores, in scholis Doctores, in domibus patresfamilias, nunquam non fovere, ac promovere visi sunt; quod ex tàm praeclaris per omne ævum Patrum nostrorum scriptis abunde liquet, ut vix appareat via & ratio, quà non dicam in toto orbe, sed vel in una gente in necessarijs fidei articulis talis religio obscurari tacitè potuerit.

II. Accedit quartò quòd hujus traditionis conservatio, non in sola doctrina & speculatione, sed maximè usu ipso, ut e. g. baptismi, Eucharistiæ, pœnitentiæ, liturgiarum, invocatione sanctorum &c. constiterit, adeoque aboleri & ex communi auferri consuetudine sine convulsione integræ alicujus, ubi id fieret, nationis nequaquam potuerit. Undè planè manifesta sunt, suisque & autoribus, & initijs cognita, quæ contra iconomachos olim ab Iconomachis, contra Christi divinitatem ab Ario aliisque omni ævo hæreticis tentata sunt.

Postremò illud præ omnibus humanis traditionibus, traditioni Christianæ fidei, animum omnium mortalium, ad illam studiosissimè conservandam, adjecit; quod tantam illa futuræ

vitæ felicitatem suis sponderet cultoribus, si piè hæc sanctéq; observaretur; quodque semper hæreses futuræ essent, quæ illam oppugnarent, adeoque in statione & vigilia adversus earum machinationes & insidias standum esset. Undè oportuit, ut semper in Ecclesia essent, qui rationem sibi creditæ doctrinæ fideique dare possent. Quibus in ambiguo scripturarum sensu, ad primam traditionem vivæ vocis Apostolicam à Majoribus acceptam erat recurrendum. Nam cum hæretici ad talem nequeant traditionem recurrere, nisi fortè hæreticorum illa antecedentium sit) ut qui ferè novam doctrinam, certè ab Apostolis minimè acceptam adferunt, hoc unum ad traditiones Apostolicas refugium solis orthodoxis relictum est.

III. His ex communi ratione suppositis, haud difficile mihi erit ostendere, magis nos de traditionibus Apostolicis, quæ necessarios fidei articulos vivâ voce complectuntur, quàm de incorrupta traditione Scripturæ sacræ posse esse securos.

Ratio I. est quia liber aliquis Scripturæ S. ab uno autore primùm prodijt, & ab una aliqua Ecclesia recepta est, sicut Epistolæ Pauli, aliæ ab Ephesinis, aliæ à Romanis, *&c.* sed doctrina Evangelica toto orbe à pluribus simul gentibus fuit recepta; ut quantò plurium testium major fides, quàm unius, tantò hæc accepta traditio, illius sit fidei præferenda. Jam verò descriptio illius libri quoties, quot millenis vicibus per peritos simul & imperitos repetenda fuit, ut vel præcipuis unius nationis hominibus communicaretur, cùm intereà commune vulgus omni tali præsidio librorum fuerit destitutum, adeóq; ex Scriptura judicare non potuerit (si illud judicium esset acquisitum) rectène an perperam doceretur. Jam verò & ipsi docti quot erroribus describentium mansere obnoxij, præsertim in tam perplexis Scripturæ textibus! ut si vel uno sæculo & in natione tantùm una ex solis Scripturis propaganda fuisset religio, nullus certus secura hic conscientia possit acquiescere. Jam demus hos libros in tot transferri linguas, quot gentes Christianâ religione imbutæ sunt, perque tam varios cujusque nationis Scriptores versari, quot superioribus factum seculis, ante typos repertos: quale denique chaos aberrationum fuit pertimescendum! Cùm intereà traditio vivæ vocis, ab Apostolis toto orbe divisa, in necessarijs ad fidem articulis una eademque fuerit, tot namque diversis accepta fidelibus, ut si nonnullos error quispiam arriperet, universi in natione aliqua sine communis Ecclesiæ sensu non possent deviare.

Ratio

Ratio 2. longè est certissima. Si enim traditionis illius, quæ vivæ vocis fuit ad exponendos omnes fidei articulos claritatem, definitionem & certitudinem spectemus, libri sacræ scripturæ in his nequeunt comparari. Nam si divinæ veritatis lux claritasque & vis in Scripturis tanta fuisset, in rebus ad salutem necessariis, quantum Protestantes ad quemlibet convincendum esse memorant, poterant Apostoli Jerosolymis aut Romæ subsistere, missasque in totum orbem destinare Scripturas, quæ lecturos suâ divinitate & luce perstringerent: nunc ipsi non calamo, sed ore persuadendam fundandamq. in omni natione fidem, duxêre necessarium. Et quis vivâ semper voce quàm scripto clariùs certiùsque exponi sententiam neget, quando tot impensis legati Regum hoc potissimum consilio apud exteros aluntur. Jam verò doctrina Christiana semel per præcipuas urbis partes recepta, eodem ubique sensu sententiaq; quàm ingens habuit, vel ad constanter durandum, vel ad errores emergentes facilè agnoscendos convincendosque argumentum, quod à scripta litera haberi non potuit!

Exemplis rem declaro. Orta erat jam tempore Apostolorum de circumcisione alijsque ritibus dissidium. Cur tanto terrarum intervallo conveniunt Apostoli, quando literis quisque scriptis exponere sententiam poterat? Nimirùm vivâ se voce fidelius sententiam exposituros non ignorabant. Nata deinde secuturis temporibus, atque inprimis sub Ario, de fide controversia. Cur toto orbe concurritur, & non potiùs nonnulli eorum Scriptura in medium allata, hanc ostendunt definire controversiam, & claram abundè sententiam pronuntiare? Ipsi hoc tempore Protestantes sua ad Scripturam provocatione nunquam controversias exortas determinant, sed vel perpetuo scinduntur dissidio, vel Synodis ad concordandum habitis suam de accepta per manus Majorum suorum doctrinam conantur tueri, & nobis exprobrabunt, si ex veteris Ecclesiæ sententiâ nos in Scripturis de fide controversis moderemur?

Ratio 3. ut facillimum fuit Scripturam, sive per paucorum, sive per multorum sparsam manus corrumpi, inter hæreticos præsertim suis illam opinionibus aptantes, idque in Græca inprimis Ecclesia per hæreses diversas turbata; ita in traditione Christianæ doctrinæ semel toto orbe recepta id fuit difficillimum, propter quinque causas suprà positas; hoc est æstimationem illius, recipientium multitudinem, curam conservandi & propagandi, perpetuum sacrorum usum, ac denique sum-

summæ felicitatis in ea inviolatè conservata certam exspectationem. Quare ut hæc doctrina toto orbe everteretur, ac velut in tenebris neglecta & sepulta lateret, quanta rerum confusio, perque tot nationes consentiens salutis neglectio, templorum, scholarum, familiarumque devastatio, sacrorum ubique neglectorum vilitas salutis æternæque felicitatis contemptus præcedere debuisset. Quàm difficile est, hæc vel in una natione animo fingere; ut toto orbe hæc evenisse nec cogitare quidem prudenter liceat. Reperamus illa tempora quando ipsis Imperatoribus ad Arianam hæresin deflectentibus, ubique hæc diffusa exultabat, quot tamen zelo divino inflammati, non in Occidente solo (qui alicubi sub vi magis dissimulavit, quàm assensus est) sed Oriente etiam, in medijs sese flammis huic incendio objecêre, ut etiamnum ex Doctorum scriptis compertum est! Quòd si igitur tanta violentia & potestas acceptas à majoribus traditiones (quibus Arianis resistebant) evertere ac tollere ex recepta Fidelium consuetudine non potuit; sed ex hac tempestate denique victrix propositique tenax eluctata sit Ecclesia; quis sibi persuadeat, sine adversarijs sensim ad illum traditionis Apostolicæ neglectum & obliterationem doctrinæ toto orbe receptæ defensæque Ecclesiam universam delabi potuisse? Fingunt illam Protestantes seculo sexto, alij septimo degenerasse, & ex sponsa Christi Babylonicam meretricem effectam, ex regno Christi transisse in regnum Antichristi. Nemo igitur inter tot nationes Fidelium, ausus hiscere, nemò de conscientia, de salute sua, aut publica, de æternitate sollicitus est? Doctores ubique terrarum deficiunt, Pastores obmutescunt, aut tam repentina cæcitate percussi omnes, ut hæc non videant, aut tantâ impietate facti sunt degeneres, ut hæc non curent? Dynastæ, Reges, Monarchæ adeò dementes, ut unius Papalis dignitatis fovendæ gratiâ, suæ salutis & honoris prodigi, jam turpissimi bestiæ adoratores esse malint, quàm tantæ arrogantiæ, sola recusatione, obsequij resistere difflandæ. Quod monstrum tale opinionis unquam in humana disciplina inventum est, ad quod omnes docti non obstupescerent & aversarentur? & tam bruti homines invenientur, qui talibus, in data nobis cœlitùs doctrinâ, cui etiam æternitas à Deo promissa sit, ex qua salus & felicitas humani generis suspensa est, possint assentiri? Hæc cum inter homines disputantur, adeò obstupesco, ut nesciam, an omninò inter homines.

Ratio

Ratio 4. Ex traditionis Apostolicæ ubique receptæ conservatæque constanti opinione potissimum efficitur, ut Ecclesia in obortis inter Scripturæ interpretes & de fidei articulis contentionibus, ad synodos cogendas, tanquam ultimum dissensionum sopiendarum, & firmandæ veritatis præsidium se convertat. Quod iccircò sentit esse securissimum, quia ex omni natione doctissimi, & senes longæque retro memoriæ & experientiæ viri convocantur, qui de recepta apud se à majoribus doctrina fidei testentur. In hac enim si plerique suis conveniant sententijs, & una eademque apud tam diversas nationes vigere, ab avorum memoria, doctrina intelligatur, jam quid de obortis controversijs, quidque de S. Scripturis in diversas interpretationes sensusque abstractis (unde solent dissensiones & pugnæ sententiarum existere) sentiendum sit, nemo amplius prudenter potest ambigere. Unde semper videmus in Concilijs inquisitum, quid acceptum à majoribus, atque ex illo de natis controversijs, & sensu Scripturarum fuit judicatum, quo nihil juxtà humanas divinasque rationes potuit esse securius. Qui verò in ambiguis etiam, hoc quod est tutius amplectitur, non potest aberrare.

Ratio V. Sublatâ hac traditionis Apostolicæ securitate, nec ipsa quidem Scriptura S. quicquam habere poterit certi, sive librorum, capitum, ac periodorum numerum, sive literam, sive sensum ejusdem spectemus. Nam cum stultissimum sit asserrere, quod ex ipso intuitu Scriptura discerni possit, ut pateat quid in illa divinum, quid profanum sit: quando ipsimet hujus insaniæ assertores semet confutant confunduntque, dum alij aliam, non solùm literam, sed & sensum sententiamque amplectuntur: palàm est, aliundè, quàm ex traditione, nihil nos de Scripturis certum possidere. Jam cùm Scripturæ illæ mille modis viriari potuerint: quod viciatæ non sint, cui, nisi inviolatæ traditioni credendum? hæc ergo si corrumpi potuerit, & adeò facilè, ut adversarijs videtur: nihil jam ampliùs quoque Scripturis esse credendum, ulla poterit infallibili ratione dissuaderi. Jacet itaque cum traditione certa Scriptura, jacet Ecclesia, jacet tota salus nostra.

Concludo, & ex ipsamet Protestantium doctrina ostendo, quòd in traditione Apostolica etiam illa, quæ vivæ vocis est, fundet Ecclesiam, cui Deus promisit, quòd portæ inferæ non essent contra illam prævaliruræ. Nam ex ista Apostoli ad Ephesios c. 2. n. 20. sententia de fidelibus: *Estis domestici Dei superædi-*

tradunt. In priori statuit cum Cajetano Patres falli posse: de posteriori sic disserit.

§. III. Quòd si loquamur de dictis, seu explicationibus dogmatum, & rerum fidei, ac de intelligentia sacrarum Scripturarum, quæ Patres tanquam accepta a majoribus proferunt, quæque ex vero fonte verarum traditionum manant, illa profectò erunt, non modo argumentum certum & infallibile Theologis omnibus; sed etiam tuta ac firma regula credendorum. Sed in his Patres non sunt nisi veritatis per traditionem habitæ conservatores & testes: certitudo verò horum & infallibilitas non Patribus ista sic sentientibus, sed veræ & legitimæ traditioni, qualem cap. 2. hujus explicavi, tota debetur. Neque ideo illa omnia vera sunt infallibiliter, quia omnes Patres in ijs consentiunt, aut quia Patribus Spiritu Sancto data est Scripturarum speciali aliquo modo intelligentia, sed ideo, quia ab ipsis Apostolicis prædicationibus ad Patres illa pervenerunt, & quia talia sunt, ideo omnes Patres consentiunt, qui consensus non est causa dans infallibilitatem veritati, sed effectus veritatis jam infallibilis. Sicut mulier Samaritana Joan. 4. infallibilem tradebat Sicharitis veritatem, quæ infallibilitas non pendebat ex autoritate illius mulieris, quæ non erat nisi simplex delatrix illius veritatis: sic Patres. Traditiones enim veræ à me jam explicatæ, hoc est antiquæ, quæ erant ubique apud omnes, & semper usque ad Apostolorum tempora, continuatâ successione, deductæ, jam non possunt nisi apud veteres Patres cognosci, sive quia illas apertè exprimunt; sive quia ex ipsorum scriptis id, quod Ecclesiastica communissimâ consuetudine credebatur colligitur. Fatetur hoc Melchior Canus de loc. com. l. 7. c. 3. concl. 6. *Non enim*, inquit, *aliundè apertiùs, quàm ex Sanctorum veterum testimoniis plerasque Apostolicas traditiones agnovimus.* Ea igitur quæ ad veritatem, & necessariam explicationem nostræ fidei spectant, Patres non ex se, sed uti à majoribus, seu ab Ecclesia vetere, ante corruptiones, accepta proferre, & docere, facilè est ostendere, & ex ipsorum Patrum vel dictis vel factis confirmare, ex quibus jam aliquid aliâ occasione protuli cap. 2. num. 10. & 37. & cap. 3. n. 9. & seqq. & cap. 4. n. 8. & seqq. jam dabo reliquos.

IV. Sacrarum rerum Scriptores, & divinæ Scripturæ interpretes plurimi fuerunt, qui Eusebium præcesserunt: hoc est trium primorum seculorum, quorum opera extabant plurima, quæ legit & vidit ipse Eusebius, & Hieronymus in suo catalo-

go re-

go recensuit, & quidem non omnia, quæ extabant opera, seu opuscula autoris sui nomen prælatum habebant. Alij enim libri, inquit Eusebius l.5.c.26. aliorum multorum Ecclesiasticorum Scriptorum, verè de religione & fide sentientium (sicut cujusque expositiones in sacram Scripturam editæ commonstrant) ad nos pervenerunt, tamen quia autores eorum nobis ideo incogniti sunt, quod illorum nomina in libris minimè inscripta reperiuntur, istorum nomina recensere non possumus. In uno igitur ex his orthodoxo libro hæc scripta contra Artemonis hæresim habebantur, quæ indè exscripta in suam historiam transtulit Eusebius ibid. c. 27. *Ajunt, isti omnes majores nostros, & ipsos Apostols ea, quæ ipsi jam affirmant, non modò à Domino accepisse, verùm etiam alios eadem docuisse, & veram prædicationis rationem, usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius à Petro Romæ Episcopus fuit, integrè servatam illam quidem, sed à Zepherino illius successore penitùs corruptam & depravatam fuisse. Atque profectò quod ab illis dicebatur, multùm fortasse videre potuisset habere probabilitatis, nisi primùm sacræ Scripturæ testimonia illis contradicernt, deinde fratrum quorundam scripta superessent, Victoris temporibus multò antiquiora, quæ illi cùm contra gentiles pro veritatis defensione, tum contra hæreses, quæ id temporis grassabantur, scripserunt, ut Iustini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & aliorum nonnullorum, in quorum omnium libris Christus verè Deus esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis ceterorum libros ignorat, qui Christum Deum; & hominem constanter asseverant? Quot item Psalmi, quot hymni à fratribus fidelibus antiquitùs perscripti, qui Christum, verbum Dei, verum Deum esse concentu quodam concelebrant? Cùm igitur ex tot annorum spatio, doctrina Ecclesiastica verè annunciata fuerit, quomodo fieri potest, ut illi Patres, qui ad Victorem usque vitam produxerunt sic, ut isti asserunt, prædicarint.* In Patribus igitur doctrina Ecclesiastica annuntiabatur, hoc est, id quod Ecclesia ab Apostolis prædicatum & declaratum acceperat, id in Patrum Scriptis conservabatur.

V. Eusebius Vercellensis Orientalis Ecclesiæ Ariana peste laborantis statum miseratus, in oportunum remedium celebre Alexandriæ cum Athanasio collegit Concilium. *In eo Concilio Patres,* ut refert Socrates Tripart. histor. l. 6. c. 20. *de maximis necessariis rebus habuere tractatum: ubi etiam de S. Spiri-*

Spiritus divinitate tractantes eum in consubstantiali Trinitate comprehenderunt. Et verbum in humana tum non solum carne, sed etiam anima declararunt, sicut olim viris Ecclesiasticis complacuerat. Non enim novam Religionem in Ecclesiam introduxerunt, sed quomodo ab initio Ecclesiastica traditio docuit Christianos. Sic enim omnes antiqui ex hoc habita hujus disputatione sermonis, scripturam nobis probatissimam reliquerunt. Ita sanè Patres non suas novas inventiones, ubi de rebus fidei necessariis agitur, excogitant; sed Ecclesiasticæ ei, quæ ab initio fuit, innituntur traditioni, & ex ea docent Christianos. Atque ibi hic autor citat Irenæum. Clementem, Apollinarium, Serapionem, & alios, quos synodus illa Alexandrina secuta est. Athanasius profectò nullam aliam regulam magis secutus est in rebus fidei declarandis, quàm traditionem apud Patres antiquiores conservatam, ut vidimus cap. 3. n. 13. hujus, sed & planè profitetur ipse de Incar. verbi Dei ad finem, & ora 1. cont. id ola, *sacram quidem scripturam à viris rerum cœlestium peritis, & ab ipso Deo conscriptam esse, se autem cognitionem & sensum scripturarum à Magistris divinitus afflatis, qui eos libros evolverant; & sese divinitatis Christi martyres exhibuerant, hausisse.*

VI. De Basilio & Gregorio Nazianzeno hæc scribit Ruffinus c. 9. l. 2. hist. *In monasterio illi per omnes*, ut ajunt, *tredecim, omnibus Græcorum sæcularium libris remotis solis divinæ scripturæ voluminibus operam dabant; eorumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis & autoritate sequebantur, quos & ipsos Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. Quorum præcipuè in prophetas commentarios discutientes thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos in vasis fictilibus requirebant.* Tractatores enim illi primitivæ Ecclesiæ veteres, in se quidem simpliciores, intelligentiam tamen in rebus dogmaticis, & nostræ fidei, ac spei necessariis, quam ab Apostolis Ecclesiæ traditam acceperant, premebant, & hanc intelligentiam hi duo magni viri in veterum opusculis perquirebant, & aliis tradebant, quæ est sola & unica via ad veritates necessarias inveniendas, & explicandas, ut non sensus novi proprio ingenio formentur, sed prisci jam formati ab Apostolis inveniantur. Basilius sanè ipse satis re ipsa confirmat verum esse, quod de ipso scripsit Ruffinus; nam in rebus fidei semper ad veterum Patrum doctrinam traditione ab ipsis acceptam,

ceptam,esse confugiendum docet,ut vidimus cap. 2. n. 40. hujus qui etiam de Spiritu sancto dogmaticæ scribens , quæ rectam fidem instruant de Spir.sanct.c. 9. ait : *Iam verò etiam de Spiritu sancto communes nostras sententias quales sint expendamus ; tum eas,quæ ex scripturis de ipso nobis collecta sunt,tum quas ex non scripta in sana scriptura Patrum traditione, quasi per manus suscepimus.* Quæ videlicet Patres à Patribus jam inde ab Apostolorum temporibus accepta, pro intelligentia veri sensus scripturarum,ubi illæ de Spiritu sancto loquuntur Ecclesiæ , dum fideles docerent & instruerent, sive voce, sive scripto explicabunt. Et quia doctrina fidei sic in Ecclesia à Patribus prout ab Apostolis tradita fuit, conservata, unica erat regula ad hæreticos ingenioli duntaxat acumini confisos, comprimendos. *Illi in nos*,inquit Basil. ibid. c. 10. *machinas ac insidias construunt, seque mutuò adhortantur ad ferendum auxilium, prout quisque, aut experientia,aut robore præstat. Fides est autem,quæ oppugnatur, & communis omnibus scopus uti firmamentum fidei in Christum concutiant,ex eo,ut Apostolica traditio solo adæquata dissipetur. Quapropter, velut æris alieni debitores, probationes ex scriptura implorant, non scriptum (videlicet in scripturis sacris) Patrum testimonium, velut nullius ponderis rejicientes.* Quid verò nos? *Cum*, inquit,*salutem hanc per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum confirmatam sciamus,formam doctrinæ, quàm accepimus,abjiciemus ? Profectò magnis suspiriis res digna fuerit, siquidem reperiemur nunc longius abesse à salute nostra,quàm cum credimus.* Jam enim nova heresum doctrina longè diversa erat,ab ea quam cum Baptismo Basilius accepit. Et quia illa erat eadem quam Majores ab Apostolis acceptam docuerunt, ideò in ea perseverandum esse docet. Tunc enim optima erat regula , ut doctrinam Christianam,in qua quis natus & baptizatus fuit , puram & intactam conservaret : nunc verò non ubique regula hæc tuta esse potest,nisi constituerit doctrinam illam eandem esse , quam primitiva Ecclesia,antequam hæreses & errores inter Christianos insurgerent,didicit & docuit.

VII. Theodosius senior gloriosissimæ memoriæ Imperator, Principibus Christianis,nostris potissimum temporibus,maximè imitandus,cum cerneret tumultus, qui in sui imperii civitatibus ob expulsos ab Ecclesiis Arianos, subinde Remp. turbabant,omnium sectarum divisæ Christianitatis Concilium post jam celebratum primum œcumenicum Constantinopolitanum ibidem

ibidem coegit: *Ratus*, ut ait Socrates, *ex mutuo Episcoporum inter ipsos colloquio & congressu, unam omnibus consentientē de fide opinionem stabilitam fore.* Piam Imperator mentem ac salubre consilium cum Nectario Patriarcha Constantinopolitano contulit. Is verò Agelium consulere voluit Episcopum Novatianum, sed de consubstantialitate cum orthodoxis sentientem. Is vero Sisinium rectorem suum, virum valde doctum huic consultationi adhibuit, cujus præclarum ac omninò memorandum consilium illud fuit, ut cum Arianis concertationes dialecticæ vitarentur, sed formulæ fidei à veteribus editæ in medium proferrentur, ac primarii hæreticorum ab Imperatore rogarentur, utrum aliquam rationem ducerent illorum Doctorum, qui ante divisionem probè Ecclesiam temperassent, an eos tanquam à religione Christiana alienos rejicerent? Quod si eos rejiciunt, eisdem etiam anathema denunciare audacter aggrediantur, ac si illud aggredi audeant, certè à multitudine ipsi expellentur, quo confecto veritatem vicisse manifesto constabit. Sin veteres Doctores minimè rejciunt, *tum nostrum est*, inquit Sisinius, *eorum Patrum libros proferre, quorum testimonus nostra infirmetur opinio.* Planum igitur erat veritatem in Patrum libris prout ab Apostolis habita est, quo ad articulos fidei fundamentales, eorumque necessarias declarationes, expressam haberi. Et quidem Ariani professi sunt, se Patres veteres ut magistros in magno honore habere, & sciscitante Imperatore denuo, utrum illorum, veluti fidelium doctrinæ Christianæ (testium, inquit, non propriè Magistorum) vestigiis insisterent? Illi inter se discordes, aliqui annuebant, alii in dialectica, non in Patrum scriptis exercitati, renitebantur. Itaque alia via Imperator eos agressus est, & errores convicit & profligavit.

VIII. Innocentius primus etiam, quo ad disciplinam Ecclesiasticam, Romanæ Ecclesiæ formam aliis tradit Ecclesiis, & ait 2. ep. 1. se nova præcepta non dare, sed illa quæ ab Apostolica, & Patrum traditione erant constitura. Atque illa ipsa servanda se, ait, urgere, quæ à Petro Apostolo Romanæ Ecclesiæ tradita fuere. Et quoniam eadem Ecclesia Romana diu Apostolicas, & Petri in fide explicanda traditiones diligentissimè servavit, ideò plurimæ Ecclesiæ, etiam Orientales (ut sæpè ostendi in præcedentibus) illam in dubiis consulebant. Non quod illa peculiarem ullam ad hoc haberet autoritatē, sed quia illa commodè quod acceperat, ab Apostolis & Patribus,

quippe servatum & custoditum diligentissimè, poterat aliis communicare.

IX Augustinus contra Julianum, Pelagianum, Patrum aciem instruxit, & valde multos attulit, qui Pelagianis placitis contraria, antequam Pelagius delirasset, docuerunt. Ac de istis Patribus ista subdit. cont. Julian. lib. 2. ante finem *Neque vobis, neque nobis nati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Et paulò post sic alloquitur Julianum; *quantò tibi essent isti Patres Judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem; quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis, magnisque ministrarunt.* Non ergo ex se, neque ex privato spiritu, aut ex ipsorum propria autoritate, vel speculatione necessaria fidei nos docuerunt, ideoque illa quæ docent, non habent ab ipsorum autoritate, etiam omnium simul consentientium, certitudinem; sed quia per manus ab Apostolis tradita, non modò dogmata, sed dogmatum etiam veram intelligentiam, prius ab Ecclesia & Patribus prioribus hauserunt, deinde, quod ipsi in Ecclesia invenerunt, id posteros docuerunt.

X. Hoc quod præ manibus habemus argumentum, à Vincentio Lyrinensi fuit excellentissimè tractatum, ipsius aurea dicta sunt omnino hic apponenda. Nam sicut ipse omnino necessarium esse in Ecclesiasticis de fide controversiis ad Patres veteres confugium, ita in Patribus non autoritatem definiendi, sed commoditatem & opportunitatem testificandi, & quæ à Majoribus didicerant repetendi, planè agnoscit. Ipsum audiamus: ex eo enim potissima quæque excerpam. *In nomine Domini*, inquit adver. hær. in præfat. *quod instat aggrediar, ut scilicet à Majoribus tradita, & apud nos deposita scribam, relatoris fide potius, quàm autoris præsumptione* Et ibid. cap. 1. *sæpè igitur magno studio, & summa attentione perquirens à quam plurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam & quasi generali ac regulari via, Catholicæ fidei veritatem ab hæretica pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: quod sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, domino adjuvante deberet. Primò*

scilicet

scilicet divinæ legis autoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione cap. 2. *Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretantur; ut penè quot homines sint, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter enim eam Novatianus, aliter Photinus, &c. Atque iccirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

XI. Eam deinde cap. 3. & c. antep. præclaram ponit regulam, quam nos cap. 2. hujus libri secuti sumus: *Vt id teneamus,* inquit, *quod ab omnibus creditum est. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem, sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita si ab iis nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* (cap. 4) *Quid igitur faciet Christianus Catholicus si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique? nisi, ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio, non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid, si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam provinciæ error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si quæ sunt, universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter se Majorum consulat atque interroget sententias: eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, & quicquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, apertè frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisseque cognoverit, id sibi quoque intelligat, absque ulla dubitatione credendum.* Et has regulas probat mos variis ex praxi Ecclesiastica exemplis, quibus constat Ecclesiam novitatibus turbatam, semper ad antiquitatem recurrisse.

XII. Addit verò ibid. cap. 8. in fine : *Sacrata vetustatis autoritate, profana novitatis conteratur audacia.* Et cap. 9. *Neque hoc sanè novum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit ut quo quisque floreret religiosior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorum beata successio, quanta vi semper, quanto studio, quantaque contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem, &c. Intelligebat enim vir Sanctus & prudens Stephanus Romanus nihil aliud ratione pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non qua vellemus ducere, sed potius, qua illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare.* Ecce habemus, cur ad Patres confugiendum sit, etiam Papæ, quia nimirum illi docent non propria, sed quæ traditione legitima acceperunt.

XIII. Ubi de Origine cap. 23. occurrit sermo, Lyrinensis hæc habet: *Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit, &c. Si surrexerit* ait Deus Deut. 13. 1. *in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, non audias verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Falsus propheta & somniator est, qui in articulis fidei nostræ proprium sensum, propriamque excogitat definitionem, antiquæ à Deo per servos suos traditæ doctrinæ nequaquam congruentem, primis Patribus penitus ignotam. Optimè ergo Lyrinensis; *ille est verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil proponit, non hominis cujuspiam autoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam, sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens. quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit, quicquid verò ab aliquo deinceps uno, præter omnes,*

vel contra omnes sanctos novum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Hæc ne regula tolerabit, ut novi articuli in Ecclesia veteri inauditi possint, solius Romani Episcopi autoritate, fidelibus etiam vi adhibita ad credendum & profitendum proponi? pergit tamen Lyrinensis & ait cap. 27.

XIV. *O Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina esto spiritalis tabernaculi Bezeleel, pretiosos divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas, id est fideles tui temporis, qui sunt posteris vetustas, non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti, ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova.* Et cap. 28. *Sed forsitan dicit aliquis: nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur planè & maximus. Nam quis ille est, tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? sed ita tamen, ut verè profectus sit ille fidei, non permutatio, siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in illud transvertatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ ætatum, ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, Sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademdemque sententia.* Et cap. 29. *Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, ut totum corpus vel intercedat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur: ita etiam Christianæ religionis dogma, &c.* Mancam futuram esse meritò censet religionem, si membrorum aliquod ex necessariis, hoc est dogma aliquod fidei detruncetur: monstrosam verò, si dogmata nova, nunquam in Ecclesia prisca cognita, & consequenter neque tradita, aliis veris dogmatibus superaddantur. Et hic est excessus ille, de quo ego supra cap. 5. n. 40. & seqq. Habet & illud Lyrinensis.

XV. *Antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum, certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio & investiganda est & sequenda, &c. Atque ideò quascunque illas antiquiores, vel schismatum, vel hæreseos* pro-

profanitates, nullo modo nos oportet; nisi aut sola, si opus est Scripturarum autoritate convincere; aut certè jam antiquitus universalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas damnatasque vitare Itaque cùm primùm mali cujusque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem quadam sacræ legis verba furari, eaque fallaciter & fraudulenter exponere: statim interpretando canoni majorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud quodcunque exurget novitium, ideoque profanum & absque ulla ambage prodatur, & sine ulla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica, sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo fideliter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum est, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratòque habeatur. Quicquid vero, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas à communis publica ac generalis sententiæ autoritate secretum sit, nec cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegum hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem. Hic profectò neque Papa excluditur, sed in Episcopi vocabulo includitur. Neque solum hæc regula tenenda est, ubi quis novitium dogma contrarium antiquis in Ecclesia universa acceptis dogmatibus, sed etiam ubi nova dogmata quæcunque proferuntur, quæ in antiquâ Ecclesia, neque actu, neque virtute tradita, audita, accepta fuerunt, licet antiquis dogmatibus contraria non sint. Ait enim autor hic, & superius c. 25 ex hoc loco repudiandum esse quicquid aliquis præter omnes, aut contra omnes senserit. Mox & illud monet.

XVI. *Et ne quis forsitan prætermissis ceteris se solum audiri, sibi soli credi arrogaret: An à vobis,* inquit, Lyrin. c. 40. *Verbum Dei protessiritant ad vos solos devenit?* Et ne hoc quasi perfunctoriè acciperetur, adjecit; *si quis,* inquit, *videtur Propheta esse, aut spiritualis, id est, spiritualium rerum magister, summo studio æqualitatis & unitatis cultor existat, ut scilicet neque opiniones suas*

suas cæteris præferat, & ab universorum sensibus non recedat. Spiritus sancti profectò ductu vir sanctus olfaciebat futuros non multò post Romanos Pontifices, imò fortasse id jam experiebatur, qui prætermissis cæteris se solos audiri, sibi solis credi vellent & juberent, ideo monet cum Paulo, aut quisque illorum caveat, ne in docendo sibi primatum Magisterii arrogent, sed veterum Patrum consensionem pro tuta sibi regula sumant in docendo & sequantur. Patres verò maximè sequendos probat idem autor, ex praxi Ecclesiæ, sumitque Concilium Ephesinum primum œcumenicum, nuper ipsius tempore, triennio videlicet antequam ista scriberet celebratum, *ubi*, inquit, ibid. cap. penult. *cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsan profana novitas in modum perfid. a Ariminensis obreperet, universis Sacerdotibus, qui illò ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, felicissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur.* Ut scilicet ritè atque solenniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur. Et profanæ novitatis blasphemia condemnaretur: quod cum ita factum foret; jure meritoque ille Nestorius, *Catholicæ vetustati contrarius, beatus verò Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est.* Nominatque decem insignes Patres, qui Concilium præcesserunt, quorum sententiæ prolatæ sunt in Concilio, Nestorio prorsus contrariæ. Itaque fides de Christo de duabus naturis in unica persona inventa est, expressa in Patribus, quam ipsi à suis majoribus per traditionem acceperunt, Scriptura enim non habet dogma hoc sub his terminis declarativis expressum: In Christo est unio duarum naturarum, divinæ & humanæ, in unica persona verbi. Sed hæc expositio data est ab Apostolis viva voce. & accepta & conservata in Ecclesia, & à Patribus ad Patres transmissa. Itaque dogma hoc erat antiquum: Nestorius verò contrariam novitatem invehebat, & duas personas in Christo ponere nitebatur, cum ingenti falsitate & hæresi pestilentissima. Refertque præcipuorum tum viventium Episcoporum literas, in Concilio lectas, puta Capreoli & Cœlestini ac Xysti, *ibid c.* 43 qui nihil aliud contra Nestorium urgebant, nisi ut novitas contraria vetustati aboleretur, & staretur vetustati, nec ei quicquam adderetur. Et circa idem Concilium idem Lyrinensis observavit, quod supra c. 4. n. 23. hujus libri protulimus; *neminem ex tot doctissimis & magni nominis,*

magnaque autoritatis Prælatis qui eo convenerant, ausum esse, aut præsumpsisse, sibique arrogasse quicquam ex proprio ingenio promere; sed omnes præcavisse ne aliquid posteris traderent, quod ipsi à Patribus non accepissent. Audiant igitur & discessant Romani Pontifices, discant Concilia omnia orthodoxa nihil audere, nihil sibi arrogare, nec fidei novos articulos facere, nec illos fidelibus & posteris tradere, nisi eos ipsi à Patribus acceperint. De Lyrinensi satis

XVII. Easdem regulas secuti sunt etiam posteri, vel ipsi Romani Pontifices moderatores. Aliquos jam in præcedentibus protuli, nunc duos addo, has ipsas regulas de consulendis Patribus confirmantes observantes, non propter ipsorum autoritatem; sed quia eos sciebant esse testes antiquæ veritatis, ac traditionum legitimarum conservatores. Hormisda explicaturus aliquid de mysterio Incarnationis nihil aliud se dicturum profitetur initio, nisi quod à prioribus didicisset. *Ad responsi,* inquis, Ep. 76 *plenitudinem sufficere potuisset, si illa tantum, quæ à veteribus sunt definita, rescriberem.* Collegit tamen aliqua ex Leonis Epistola ad Flavianum, & ex actis Concilii Ephesini, ideo in fine hæc habet; *Latius hæc quæ ad Deitatem; humanitatemque Domini nostri Iesu Christi pertinent, & in eo unitas duas sine confusione naturas potui, secundum veterum definita disserere, si esset adversum eos, qui his dissentiunt disputandum; sed cum in manibus omnium sint & Synodica constituta, & beati Papæ Leonis dogmata, perstrinxisse potius pauca, quàm evolvere credidi convenientius universa. Nunc verò agnoscere satis sit, & cavere ita proprietatem & essentiam cogitandam, ut sciatur, quid persona, quid nos oporteat deferre substantia, quæ qui indecenter ignorant, aut callida impietate dissimulant, dum omittunt, quid sit proprium filii, trina tendunt insidias unitati. Sed si quæ prædicta sunt, validis teneantur fixa radicibus, nec à paterna traditione receditur, & constanter quæstionibus obviatur.* Nam & Leo, ut alias monui, ex dictis Patrum veterum suum tractatum illum profitetur se confecisse, & Concilium Ephesinum, ut satis ex Lyrinensi probavimus, non nisi ex prioribus Patribus suam dedit definitionem.

XVIII. Agatho sextam synodum pro sua virili directurus, licet Romana tunc Ecclesia viris eruditis esset destituta, qui possent disputationib⁹ negotium, si oporteret, promovere, scutũ tamen fidei solidissimum opposuit, ac inexpugnabile, Patrũ anti-

antiquorum documenta,& definitiones , atque in his multo melius & merito confidebat, quàm in suo privilegio Magisterii supremi & infallibilis,quod ille ne somniabat quidem. ait igitur Ep.un.to.2.Ep.Rom.Pont.& in actis sexta synodi Gen. *Apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa hasitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia,nisi qua regulariter à sanctis atque Apostolicis pradecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt,cum simplicitate cordis , & sine ambiguitate à Patribus tradita fidei conservamus, unum ac pracipuum bonum habere semper optantes atque studentes , ut nihil de eis,qua regulariter definita sunt,minuatur,nihil mutetur,vel augeatur, sed eadem & verbis & sensibus illibata à nobis custodiantur ? Quibus portitoribus & testimonia aliquorum sanctorum Patrum quos hac Apostolica Christi Ecclesia suscipit,cum eorum libris tradidimus ut facultatem suggerendi à benignissimo vestra Christianitatis imperio consecuti ex his duntaxat satisfacere studeant,dum imperialis mansuetudo pracipere,quid hac spiritualis Mater eorum,ac à Deo propagati imperii Apostolica Christi Ecclesia credat, & pradicet,non per eloquentiam secularem,qua nec suppetet idiotis hominibus , sed per sinceritatem Apostolica fidei,in qua & ab incunabilis edocti, usque in finem propagatori vestri Christiani imperii Cœli Domino , omnes nobiscum deprecamur servire atque obedire.* Et hæc nobis testimonia atque exempla sufficiant,ex quibus summam illam Patrum verorum autoritatem,ubi de rebus fidei fundamentalibus & necessariis agitur,in ipsorum testificatione & traditionum conservatione,non in proprio ipsorum judicio consistere,jam satis compertum habemus.

XIX. Itaq; Ecclesiæ Patrũ,Traditionũ,& Conciliorum,una penitus reipsa ac eadem est autoritas,quæ tandem in ipsam Apostolicam Traditionem tota resolvitur,in controversiis nimirum fidei decidendis. Sunt,fateor,dogmata multa maximè necessaria in sacra Scriptura adeo clara,ut alium Magistrum aut Judicem non postulent,neque dubium ullum vel probabile secum ferant, *nisi quod hareticus pravus & perversus moveat* , ut loquitur Tertullianus de præscri. Atque contra tales, & in talibus dubiis possunt Patres, sive separati , sive in Concilio conjuncti,proprio ingenio & peritia Scripturarum veritatem aperire & tueri;ita ut errare non possint, siquidem non proprium judi-

judicium, sed Scripturæ in se clarum sensum sequuntur, & summum suum laborem in conferendis ipsis Scripturis, quæ seipsas interpretentur, magisque ac magis declarent, collocant. At verò ubi dogma in Scriptura contentum non est adeo clarum, sed sensum videatur posse ferre diversum, tunc Patres & Concilia non propria autoritate, non vi proprii ingenii & judicii verum sensum dogmatis interpretantur, sed Apostolicam quærunt illius interpretationem & explicationem, quæ traditione vera & legitima habeatur, & in universali primitiva, veterique Ecclesia accepta ad alias fideliter pervenerit.

XX. Quod si quis quærat, quomodo cognoscere possimus, quãdo aliquis veterum Patrum aliquid rerum sacrarum ex proprio ingenio promit, & quando id tanquam traditionem ex Apostolica prædicatione acceptam profert? Respondebo discretionem esse facilem, ubi enim agitur de dogmate fidei necessario & fundamentali, ibi Patres, non propria cogitata, sed doctrinam traditam, & per manus ab Apostolis acceptam, in Ecclesiaque conservatam proferunt. Patres sequendos esse, pro regula infallibili docuit Lyrinensis c ante pen. *In iis duntaxat*, inquit, *præcipuè quæstionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur*. Sed præterea ibi intelligentur veteres Patres Orthodoxi traditionibus niti, ubi cum omnibus aliis, & sui temporis, & prioribus Orthodoxis consentiunt, ita ut neminem eorum habeant sibi adversantem. *Si qua nova*, ait idem Lyrinensis ibidem, *exsurgeret quæstio, nondum definita, recurrendum ad Sanctorum Patrum sententias, eorum duntaxat, qui suis quiquè temporibus & locis in unitate communionis, & fidei permanentes, magistri probabiles extitissent. Et quicquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesia verum & Catholicum absque ullo scrupulo judicaretur.* Propterea sequendi non fuerunt Patres illi veteres, qui Papiam secuti millenariorum errorem inducebant, falsa ac indigna interpretatione verborum illorum Apocalypsis 20. 6. *Et regnabunt cum Christo mille annis*; quia nimirum locus non est dogmaticus, id est, nullum fundamentale dogma in se continet, quoad illud tempus mille annorum, & consequenter proprio judicio nitebantur in quæstiuncula parvi momenti, quam traditio Apostolica non explicavit, Apostoli enim fundamentalibus fidei maximè institerunt, & prophetica allegorica multa nostris ingeniis reliquerunt, modò fundamenta solida & intacta permanerent. Deinde vero inde

etiam

etiam colligimus illos Patres non ex traditione, sed ex proprio ingenio illud de mille annis prompsisse, quia ille non fuit sensus omnium communis, neque in eum errorem omnes Orthodoxi consenserunt, statim enim habuerunt multos sibi adversantes, qui sanè planè agnoscebant esse fabulam illam Chiliastarum, non sensum divini Spiritus, ac propterea maluerunt rejicere Apocalypsin à libris divinis Canonicis, quam illum errorem admittere, quem forrasse putabant in ipsa Apocalypsi asseri, si ad literam sumeretur locus, ut sonat, qua de re egi cap. 1. n. 45. hujus Ubi ergo contradictionem habuerunt, ibi profectò propria docebant, non doctrinam Apostolicam proferebant. Ideo Lyrinensis monet c. 4. absque ulla dubitatione credendum esse, quicquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse, cognoverimus. Quamvis igitur neminem habeamus ex veteribus, qui Irenæo statim, & reliquis illius temporibus cum eo in illo errore consentientibus, tunc contradixerit; contradixit tamen paulo post Dionysius Alexandrinus apud Euseb l. 7. c. 19. & contra Nepotem Episcopum Ægyptium hunc errorem tuentem insurrexit. Euseb l. 3. c. 19 & l. 7. c. 20. Scimus enim Catholicos multos noluisse tunc consentire errori, sed propterea, ut dixi, Apocalypsin rejecisse. Igitur non fuit tum consensus communis.

XXI. Ex hactenus à me hoc libro disputatis, illud inprimis manifestè constat, Scripturam quidem sacram omnia fidei dogmata in se sufficienter continere, & extra Scripturam nullũ dogma fidei reperiri. Dogmata tamen fidei aliqua in Scriptura contenta, quò ad veram & genuinam illorum intelligentiam nonnullam obscuritatem habere, ubi litera varios sensus probabiles pati potest. Atque in his declarandis & definiendis nullam aliam certam & infallibilem regulam dari censemus, nisi Apostolicas Traditiones, quæ veræ sint, & legitimæ, veras verò & legitimas Traditiones ab Ecclesia universali veteri incorrupta, & ab antiquis Patribus esse petendas jam docui, ac per Concilia indagandas. Itaque Judex supremus controversiarum fidei, quem quærebamus, aut est Scriptura sacra sola, ubi illa est per se clarissima, aut si habet aliquid obscuritatis in rebus fidei fundamentalibus, judex & definitor, ac veri sensus scripturalis infallibilis interpres est Traditio, per quam Apostolica prædicatio innotescit; quæ prædicatio veros sensus Scripturarum obscuriorum aperuit. Con-

Conclusio Authoris.

VIdes igitur, benevolè Lector, qualibus quantisq; fundamẽtis nixi, ipsi demum adversarii fateantur: non in omnibus ad salutem necessariis fidei articulis S. Scripturam, regulam esse rerum credendarum posse, quòd nonnunquã plures sensus probabiles admittat, ideoq; definitam sententiam non proloquatur. Unde necessarium ad veterem Ecclesiam & Traditiones Apostolicas, à majoribus acceptas recurrere. Hoc fac nobiscum, & tuto ad salutem tramite incedes. Interea omnes illos tanquam Concordiæ publicæ hostes, & tuæ salutis insidiatores declina, quos videris tam manifestæ veritati adversari. Invito omnes, ex quibuscunq; Protestantium Academiis & Ecclesiis; ut si hæc mea, & Romanæ Ecclesiæ doctrina, ex qua caput totius dissensionis hodiernæ dependet, falsa sit; quam ego integerrimo conscientiæ meæ sensu, pro tot Europæorum à fide aberrantium salute concepi, me aliosq; ut par est instruant, & hanc tam validam ex S. Literis, ratione, antiquitate, & ipsorumet adversariorum Confessione demonstrationem refutent. Non ut quidam hoc tẽpore, universè tantum, mutilis quidem sententiis à corpore distractis eandẽ vellicant, qualis Steinbergius ex Herborna, Schlaffius ex VVittenberga, qui in hanc tanquam sine fronte & mente, manifesta depravatione sententiæ impingunt, ut si quis illorũ scripta cum Meditata Concordia tantùm componat, apertæ fraudis reos agnoscat: ideoq; aliam responsionem non mereantur. Neque ut nonnulli quibusdam tantùm hinc inde locis in examen & considerationem vocatis, ut Spanhemius Heidelbergensis, & Fritzius Gripsvvaldensis; sed recto integroq; ordine, opponendo Confessionem ex S Scriptura (si quam habent integriorem) Confessioni; tum docendo vana esse, quæ ego fallaci Protestantium interpretatione, de neglecta Scripturæ S. veritate in eorum Confessionibus, de doctrina vet. Orthod. Ecclesiæ præterita, de consequentiarum fallaciis, de Ecclesia tota aberrante, de traditionum agrapharum necessitate, ac certitudine commentatus sum. In his enim universis solidè vereque confutandis, nisi Protestantes validiores sint, malè nobis ab iisdem reformatio obtruditur: tenemur in illa stare fide, quam à majoribus accepimus, in illa Ecclesia, quam perituram nunquam credimus.

Ceterum cùm securus sim, certaque veritate innixus teneam, quod

quod nullus unquam Protestantium,cui mens,consilium,Deusque aderit,hanc meam Concordiam via ac ordine (potioribus argumentis non præteritis) aggressurus sit, multò minus eversurus, obtestor Lectores meos,ut pro salute tam sua,quàm aliorum solliciti,omnem cogitationem conatumque huc vertant,quo ad speratæ unitatis concordiam redire malè divulsi, atque ad suum interitum,& hostis Turcæ incrementū separati Europæi,post tam fœdam Religionis dissipatæ speciem sapere aliquando possint.Cui ego,cùm expeditiorem propioremque,quàm ex ipsis Acatholicorum principiis tentavi viam, non reperiam;ultimò omnes ad suffragandum & subscriben- huic Concordiæ provoco,& si mecum in Catholica Ecclesia non fuerint,ad ejusdem salutiferæ Matris sinum,

omnibus explicatum filiis,

amanter invito.

F I N I S.

